



**Ad Sebastiani Verronis Friburgensium apud Heluetios parochi
ac sacerdotis Iesuastri, Quaestiones de verbo Dei, S.
Scriptura comprehenso, responsiones analyticae, &
anaskeuastikai**

<https://hdl.handle.net/1874/406641>

2

*gee
g*

AD
SEBASTIANI
VERRONIS FRIBVR-
GENSIVM APVD HELVE-
 tios Parochi ac Sacerdotis Iesuastri, quæ
 stiones de Verbo Dei, S. Scriptura com-
 prehenso,

RESPONSES ANALYTICÆ
& divulgatis singulis.

Per **CHRISTIANVM AD PORTVM Sacrae**
 Theologiae in Schola Bernensi
 Doctorem.



APVD **GENEVÆ,**
EUSTATHIVM VIGNON,
M. D. LXXXVI.



VERBVM Domini manet in eternum.
Ies. 40.8. 1.Pet. 1. 25.

NULLA Prophetia Scripturae propriae explicationis est. Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed actiæ Spiritus sancto, loquuntur sancti Dei homines. 2. Pet. 1. 21.

TO TA Scriptura diuinitus (est) inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia. Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. 2. Tim. 3.16.17.

IMPIO dixit Deus: Ut quid tu enarras statuta mea, & assumis Testamentū meum super os tuum? Et tu odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te. Psalm. 50. 16.
17.

Chrysost. in 24. cap. Matth. Hom. 49.

Nulla probatio potest esse vera Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidem veritatem, nisi Scripturæ diuinae.

Et paulò post.

VO LENS ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscatur in tanta confusionis similitudine, nisi tantummodo per Scripturas?



FIDELI SERVO DEI,
D. CHRISTIANO AD PORTVM,
S. Theologizæ in Ecclesia Bernensi
Doctori, fratri obseruando Th. Beza
gratiam & pacem à Domino.

V quidem in eo re-
ctè omnino facis, ob-
seruande frater, *E*
quod hominem no-
mine *E*re Christianū decet, quòd
veritatem in vicinia vestra tam
insolēter impugnatam propugnas.
Sed illud sanè nimiū timidè, quòd
per te non stetit quominus hoc uti-
lissimo labore tuo penè solus frue-
ris. Ego vero contra fortassis
audaculus, *E* quidem in alieno,

EPISTOLA.

nec sine aliqua tui offensiuncula
videbor. Sed quid facias? eripi-
da est profecto Thrasonibus istis
gloriatio, qui moderatorum homi-
num silentium perinde accipiunt,
ac si malam causam nos tuendam
suscepisse taciti confiteremur: fuit
autem etiam Ecclesia&habendara
tio; quam huins tua scriptiois fru-
ctu priuare fuit nefas. Etsi enim
nihil adfert iste garrulus, quo vel
leuissime tinti vera religionis co-
gnitione homines decipi posse vi-
deantur, & quod non sit millies
refutatum, tamē in ista plerorum
que hominum partim inscitia, par-
tim protervia, ne minimam qui-
dem nobis, vel ipsius penē illusfran-
da lucis occasionem negligendam
arbitror. Ad te verò quod attinet,

EPISTOLA.

mi frater, facile, ut spero, factum
istud mihi condonabis, ubi publica
utilitati istud cessisse cognoueris.
Itaque quum nuper mihi forte fi-
lius tuus Christianus ad Portum
egregia indolis adolescens occur-
nisset, libellum hunc tuum gestans:
Ego illum ex ipsius manibus inspi-
ciendum, ut fit, accepissem: nihil
mihi fuit antiquius, quam ut illum
inspecta inscriptione, nomen etiam
tuum praferente, perlegerem, Ego,
quarauis ille mihi testaretur se non
potuisse illius editionem abs te im-
petrare, perfectū Typographo no-
stro committerem: ratus id sequu-
turum, quod ipse, ut spero, exitus
comprobabit. Nam, aut ego ve-
hementer fallor, aut tum propter
res ipsas, tum propter logicam me-

EPISTOLA.

thodium diligenter abs te obserua-
tam, scriptum hoc tuum tam erit
hostibus veritatis aduersum, quam
doctis lectoribus gratū, & studio-
saiuentuti utile, quam certè ad
hanc rectè disputandi rationem
magis ac magis excitari oportet.
Bene vale, vir eximie, cū univer-
so charissimorum fratrum ac sim-
mystarum cætu, quorum sacra la-
boribus utinam Dominus ille &
Seruator noster magis ac magis
benedicat. Geneva Pridie
Nonas Augusti, anno ultima
Dei patientiae 1586.

Tuus Theodorus Beza

AD SEBASTIANI VER.
RONIS FRIBVRGENSIVM
apud Heluetios Parochi ac Sacerdotis
Iesuastri quæstiones DE VERBO
DEI, S. Scriptura compræhenso.

RESPONSIONES ANALYTICÆ
seu analyticas, per CHRISTIANVM
AD PORTVM Bernensem.

Tclarissimam Dei veritatem oppugnes, ac cœlesti luci offundas tenebras, tuis caluminiarum præstigiis, meritò ab ipsa S. Scriptura ducis initium: quia vixunque pro nihilo habeas Scripturam, tamen facile olfecisti, te nō nisi hoc principio ac fundamento conuulso, reliqua, quæ eo nituntur, subuersere ac disturbance posse. Hoc autem subuerso, facilem sperasti ad cætera etiam destruenda tibi aditum fore & accessum. Sed falleat te opinio, mi Verro, nisi me & spes omnis, & fiducia fallit. Ex contumelioso autem

a. j.

2 CHRIST. AD PORTVM

tuo exordio, totam quæstionum tuarum farraginem nobis licet æstimare, quæ hoc solo conuitiorum ac cōrumeliaum aceruo ceu fundamento nititur, quia aliud habere non potuit. Nos istic præritis, quum sua sponte concidant & euangelescant, ad rem ipsam rectâ, sicuti postulas, tecum accedemus.

AD QVÆST. I.

PRINCIPIO, hanc propositionem, magna cum confidentia statuis: Nostram doctrinam, neque à Christo Domino, ac Seruatore nostro profectam, neque ex scriptura & fundamento petitam & deductam esse.

Quam quidem tibi demonstrandam sumis in tota hac cauillationum tuarum congerie: deinde ad eam stabiendam continuò argumentatis à repugnantibus & ab absurdo in hunc modum.

Quicquid amori Dei, in humanum genus declarato, & clara eius promissione repugnat, (nempe de Euangelio in uniuersum orbem diuulgando) id statuere & affirmare, absurdum & impium est.

Sed Euangely veritatem, usque ad Lutheri & sectæ eius tempora celatam fuisse, & abscondi-

CONTRA VERRONEM.

3

absconditam veris omnibus & antiquis Chri-
stianis in toto Christiano orbe: charitati Dei
erga humanum genus, & clara eius promis-
sioni, repugnat ex diametro. Ergo id sta-
tuere & affirmare, & revelationem veritatis
Euangelicæ Lutherò demùm, & eius secta-
toribus vendicare velle, absurdum est &
impium.

Etsi enim non integros syllogismos for-
mas, in hac tua disputatione: tamen mihi
in integrum formam digerendi sunt: ut
& tu & alij videatis, ad quid respon-
deam. Quod eodem modo obseruabo
in sequentibus.

RESPONSI O.

Propositio tua vniuersalis, quam to-
tius disputationis tuæ scopum esse
diximus, per se ipsa corruet, ubi ad tuas
calumnias, sigillatim fuerit responsum.

Nunc igitur quod ad hoc primū tuum
argumentum attinet, ita habeto. Tu hīc
statim ab initio ex duobus falsissimis
principiis argumentaris, & ex iisdem re-
liquatua deducis omnia, ad eaquè recur-
ris semper: neque aliud vniuersalitatem
ca-
uillationis fundamentum habes.

Prius est: Sedem istam vestram Roma-

a. ij.

4 CHRIST. AD PORTVM
nam (quam vocatis) esse veram illam Ca-
tholicam & præantiquam Apostolicam
Ecclesiam, præter quam, nulla alia fuerit
vnquam, aut esse possit, aut in posterum
etiam sit futura. Itaque nullos etiam ve-
Falsa by-
potheses
Verronis
dux.
ros Christianos esse, quæm Romanæ ve-
stra Ecclesiæ seftatores, & nullam aliam
veram & Apostolicam doctrinam, quæm
vestram Papisticam. Ut in summa pa-
pismus vester, & verus Christianismus,
tibi idem sint: & Christianum esse, tibi
nihil aliud sit, quæm esse Papistam. Alte-
rum est: Doctrinam à Luthero & nostris
traditam, qua Euangelicam veritatem à
Romanistyrannis oppressam, rursus pa-
refactam dicimus, nouam esse, & ante Lu-
therit tempora seculis omnibus incogni-
tam & inauditam. Hinc enim vniuersa
querela tua, & hinc tui isti termini. An-
tiquissima Christianitas, pij & antiqui
Christiani (id est Papa & ipsius aſſeclæ,
ſiue papismus & eiusdē ſectatores) item,
Lutherus, & origo, ſiue exortus ſectæ i-
pius. Adde his etiam venerandum ſci-
licet nomen Conciliorum, quorum ca-
put ac Moderator vester est Pontifex: ut
ſciamus in posterum, de quibus rebus lo-
quaris, vbi istorum mentionem feceris.
Atqui

CONTRA VERRONE M.

Atqui scire debes, mi Verro, nos istas si-
ue ampullas tuas, siue λοιδορίας parū mo-
rari: quum vtrūque principium, vt dixi,
falsissimum sit. Etenim Ecclesiam Roma-
nam, qualis nunc est, hoc est vestrum Ro-
manum Pontificem, & colluniem ipsius, ^{a Nōdici-}
veram & Apostolicam Ecclesiā esse rūm
probabis, vbi ostenderis doctrinam ipsius
& vniuersum illum cultum, quem erexit,
& quem non modo retinet mordicus, sed
& igni ac ferro tuerit, cum ipsa doctrina
Apostolica, adeoque cum ipsis scriptis
Apostolorum & Prophetarum congrue-
re. ^b Paulus enim dicit, fideles superstru-
ctos esse super fundamentum Apostolo-
rum ac Prophetarum, cuius imus angu-
laris(lapis) sit ipse Iesus Christus: Ephes. 2.
20. Et alibi dicit, fundamentum aliud po-
ni non posse, prater id quod positum sit,
hoc autem esse Iesum Christum: 1. Cor.
3. 11. Iohannes verò ne àue quidem dicere
ei nos vult, qui non adfert hanc doctri-
nam: nedum vt eum debeamus pro Eccle-
siæ capite venerari, aut impuram eius col-
luiem pro vera agnoscere Ecclesia.

Doctrinam vero à Lutherò, & nostris
traditam, nouam esse, & fidelibus omni-
bus ante Lutherum, vsqne ad Christi &

Apostolorum tempora incognitam & inauditam, è contrariò testatum facies, si ostenderis, eam à Christi & Apostolorum doctrina, quam sanctis suis scriptis prodiderunt, discrepare. Deinde si inficiari poteris, semper homines sanctos fuisse (quocunque siue loco tu eos habeas, siue nomine appelles) qui vel palam improbarint Romani Pontificis tyrannidem, & idolomaniam, vel scriptis eam refutarint: & sapientiam etiam veritatem, quam aduersus bestiam illam tuebantur, suo obsignarint sanguine. Vide mi Verro, quantum negotij susciperes, si tibi propositum esset sincerè & candidè agere, & singula, ut par erat, solidè demonstrare. Nunc vero intricatis istis quæstiunculis, quas tibi asinus ille Canisius dictauit, & quas ipse quidem explicatè intelligis, sperasti laudem consequeturum, & splendidam de nobis reportaturum victoriam.

Itaque tibi syllogismum hunc, interea dum meliora cogitaueris, vicissim expendum reponimus: posito hoc prius fundamento: amor Dei erga nos, & iustitia ipsius, non sunt repugnantia: nisi forte Deus ipse sibi repugnat, quod etiam cogitare est impium. Itaque quicquid facit pro

C O N T R A V E R R O N E M . 7

pro suo amore erga electos suos , id non
repugnat ipsius iustitię, quam ostendit in
reprobis. Et quicquid pro sua iustitia fa-
cit in puniendis reprobis , id non repu-
gnat ipsius erga suos amori. Hinc igi-
tur ita collige.

Quamcunque Deus hominum ingra-
titudinem pro sua iustitia punit, immissa
eis, quam pro oblata eius veritate ample-
ctuntur, mentis cæcitate: nihil amori suo
erga electos contrarium aut repugnans
facit.

Punit autem nunc Deus ingratitudi-
nem Romanæ Ecclesiæ apostaticæ, iusto
iudicio , immissa videlicet ei erroris effi-
cacia , pro eo quòd amorem veritatis re-
pudiauit, & amplexa est ac dilexit men-
daciū 2. Thess. 2.

Ergo hoc nequaquam repugnat amo-
ri ipsius erga Ecclesiā & electos : sed eum
potius (hoc enim addendum est) confir-
mat atque obsignat. Testatum enim fa-
cit, se , sicuti superborum contemptum
vilescatur, ac vindicet : ita piorum culto-
rum suorum obedientiam remuneratu-
rum. Vide 2. Præcep. Decalogi.

a. iiiij.

Exod. 20.

Q V A E S T . 2.

Q Vicquid Scripturā Sacrā probari nō potest, id non est recipiendum.

Verum illud, & antiquum Christi Euangeliū, & fidem Catholicam (id est, Papisticam Romanam) abrogandam ac repudiandam, pro ea autem nouam doctrinam, sive quintum quoddam Euangelium recipiendum esse, ex Scriptura sacra non potest demonstrari, sive prædictum per Prophetas, sive à Deo præceptum fuisse.

Ergo hoc non est faciendum. Probatio consequentię ab exemplo Apostolorum.

Nam sicuti ipsi Apostoli ex ipsis scripturis demonstrarunt, Legem Mosis abrogandam, prædicationem autem ipsorum, per totum orbem diulgandam esse, ad annuntiandum Regnum Dei: ita etiam nos decere, ex Scriptura ostendere Catholicam fidem (id est Romanam) idolomaniam (iam rādem perfan-
tam suo munere, in eius autem locum doctrinam nostram succedere aportere. Ita enim securè ludere tibi placet, tanquam iam certam nactus essem viatoriam.

R E S P O N S I O.

SIcuti iam antea dixi tibi, ex falsissimi-
mis tuis principiis reliqua tua ex-
truis,

C O N T R A V E R R O N E M . 9
truis, & deducis omnia.

Maiorem tuam propositionem uti-
nam non nostra tantum confessione con-
firmares, sed tibi penitus haberes persua-
sam. Nunc verò non tantum religionis
actimoris Dei insedit adhuc animo tuo
quin eam nostris potius verbis propone-
re volueris, quām per se veram agnosce-
re. Male, scilicet, te habet & asinū ruum,
quod idolomanicas vestras traditiones,
nō anteponimus sacrosancto Dei verbo.

Sed iam in assumptione, vide quām te
egregium præbeas. Romanam vestram i-
dolomaniam, & totum idololatricum
cultum vestrum, non pudet te, verum il-
lud & antiquum Christi Euangeliū, & fi-
dem Catholicam appellare. Quid est
principium petere? quid est τὸ ζῆτειρον
ἢ ὁ μελισσού πόρον λαμβάνειν, id est, Deo
& hominibus illudere, si hoc non est?

Si tam antiqua tua fides est, & nulla
fuit antiquior, quare igitur non pateris
eam Dei verbo subiici, & exigi ad eius
normam, quo nihil antiquius? Dicisenim
nos duntaxat docere hoc: nihil recipien-
dū esse, quod non in Dei verbo habeatur:
quasi dicas, tibi hoc per absurdum videri.

Quod si traditionibus tuis niteris, o-

ter certè eas ipso Dei verbo antiquiores esse, aut fides tua, quæ illis nititur, & quā Dei verbo non subiicitur, non erit antiquissima. Quomodo autem illæ sunt antiquissimæ, si hominum quippe Pontificum & Monachorum traditiones sunt? Quod si dicis Apostolicas esse, & cum ipsa Scriptura traditas Ecclesiis, quare igitur tam lepidè narratis nobis quid à quoque Pontificum longo ordine traditū siue præceptum potius sit & institutū? Annō eo ipso restatum facitis, ea quæ tradiderunt atq; instituerūt singuli prius nō obseruata fuisse: si nō obseruata prius, neque pars Christianæ fidei ac religionis fuerūt, vbi igitur fidei vestræ illa antiquitas, quæ à tam multis contexta demū ac consuta est? Vis scire, mi Verro? Phocas Imp. parricida ille Papatū vestrū primus informauit: quum prius ingens quidem, sed informis ac crudis materiæ moles esset, ab ambitiosis Pont. & superstitiosis monachis & sacerdotibus abundè congesta. Longum esset singula cōmemorare, ex vestris ipsorum historiis. Vos ipsi apostasiæ vestræ estis testes. Hoc prius est in assumptione tua.

Alterum est, quod nostram doctrinam Euangelicam, ex ipso puro Dei verbo de sumptam

CONTRA VERRONEM. II
sumptam, Nouam doctrinam, & quintum
quoddam Euangelium appellas. Nouam
vocas, quia Sacrae scripturæ lectio ac me-
ditatio tibi noua est & inusitata, quæ no-
stram doctrinam comprobat atque con-
firmat. Quintum autem Euangelium cur
voces hanc eandem doctrinam nostram
non intelligo, nisi quod fortassis nescis,
quid sit Euangelium. Paulus ad Gal. i. v. 8.
dicit. Si nos, aut Angelus è cœlo Euange-
lizet nobis præter id quod vobis Euange-
lizauimus, anathema esto. Non dicit, præ-
ter ea, quæ vobis Euangelizauimus, sed
præter id. Attu & suggestor tuus vide-
mini existimare totidem Euangelia esse,
quot sint Euangelicæ historiæ scriptores.
Summa est, sicuti anteà diximus: Si euice-
ris nostram doctrinam, cum ipso puro
Christi Euangeli non congruere, aut ex
eo non totam esse desumptā, liceat eam
tibi vel nouam doctrinam, vel quintum
aut sextum Euangelium appellare, & o-
mnibus modis reddere infamem.

Ex his iam facile intelligis, Vero, quid
ex S. scriptura adhuc amplius nobis sit
probandum. Nempè, cauendum nobis ^{Mat. 16. 6.}
esse à fermento vestro Pharisaico. Repu- ^{1. Tim. 4.}
diandos, ac detestandos, qui afferunt do- ^{v. 1. 2. 3. &c.}
^{6. v. 5.}

etrinis dæmoniorum, per hypocrisin fal-
 siloquorum: Secedendum ab iis, qui men-
 te corrupti, ac veritate privati, quæstui
 habent pietatem: in quorum numero cur
 nō meritò vos χριστέμποροι, ή χριστοάπόλοι
 censemini? Qum & ccelum & inferos,
 si quis emere velit, & omnia sacra ac pro-
 phana venalia habeatis? Probando item
 & vitandos nobis esse spiritus, qui Domi-
 ni nostri Iesu Christi in carnem aduen-
 tum eatenus certè abnegant, quatenus
 eius extenuant atque enervant virtutem:
 adeoque blasphemо ore affirmare non
 erubescunt, non satis esse ad salutem no-
 stram Iesum Christum in carnem veni-
 se, nobisque datum esse seruatorem, sed
 adhuc alia etiam multa esse necessaria:
 sicuti quendam vestratum aliquando no-
 bis respondere non puduit, & adhuc vos
 non pudet docere. Quę quum ita sint, syl-
 logismum tuum in te ipsum retorque-
 mus, in hunc ipsum modum, quo tu eum
 formasti.

Petrus
Niuinus.

Quicquid ex Scriptura Sacra probari
 non potest, illud utique non modo non
 recipiendum in causa fidei, sed & modis
 omnibus repudiandum est. Sed idoloma-
 nicus ille nouis, & ex multis supersticio-
 nibus,

CONTRA VERRONEM. 13
ribus, cœū particulis, & assumentis con-
futus: denique mero hominum arbitrio
constitutus cultus vester, adeoque nō an-
tiquum, sed nullum Euangeliū vestrum,
Scripturæ sacræ authoritate nunquam
potuit, neq; adhuc potest confirmari.

Ergo non modo non recipi, sed & mo-
dis omnibus repudiari debet.

Q V A E S T . 3.

S Vmma tui argumenti, vel ipsum po-
tius totum argumentum, hoc est: *Qui*
tortis quibusdam, sed maligne & fraude de-
tortis Scripturæ locis utuntur, ad oppugnan-
dam sacram sponsam Christi, id est, ipsam Ca-
tholicam Ecclesiam Romanam, iis minimè
credendum est.

Euangelici autem ministri illud faciunt.

Ergo eis non est credendum.

Probatio maioris, siue totius consequen-
tiæ ab absurdo: *Quia etiam Pharisei hac ra-*
tione affirmare possent, Christum iure ab ipsis
accusatum & crucifixum fuisse, quum scri-
pturas aduersus ipsum citarint & pretende-
rint: Ioh. 7. & 19,

Ioh. 7.42.
& 19.7.

R E S P O N S I O .
A D cleuandam sacræ Scripturæ au-
thoritatem omnia studia, & cona-

14 CHRIST. AD PORTVM
tus tuos dirigiſ. Semper das operam, vt
ſaltem vnam aliquam vniuersalem pro-
positionem plausibilem habeas, vt tibi
concilieſ magni cuiuſdam zeli, & ſtudij
diuinæ veritatis opinionem. Id quod e-
tiam in hoc tuo ſophiſmate facis. Quis
enim non deteſtetur & odio dignos iu-
dicet, qui Scripturas ſacras detorquent,
ad oppugnandam ſacram ſponsam Chri-
ſti, id eſt, Eccleſiam Catholicam? Sed in
aſſumptione tua, reuerende Veſto, tu &
D. Doctor tuuſ dupliſ nomine hallu-
cinamini. 1. Quod tanta cum auda-
cia affiſmas certos quoſdam Scripturæ
locos, ad alienum ſenſum detortos, citari
ac prætendi à nobis ad ſubuertendam
Chriſti ſponsam, id eſt, Eccleſiam. Et ta-
men ne vnum quidem profers ex omni-
bus, vt vel interpretationis ratio reddi à
nobis, vel crimen iſum dilui, aut ſaltem
excufari poſſit. Annon hac diſſimula-
tione tua mendacijs te arguiſ & inſimu-
laſ? 2. Quod tam impudenter abſur-
dum illud tuum principium repetiſ, vt
impuram illam veſtram ſacrificorum &
Monachorum colluuiem, pro iſa ſacra
ſponsa Chriſti, & Catholicā Eccleſia no-
biſ venditeſ. Tum enim ſacram Chriſti
ſponsam

sponsam esse concedemus , vbi testatum
feceris , eam Christo Domino debitam ,
tum obedientiam , tum castitatem ac fi-
dem præstare . Quod si se se omnibus sū-
perstitionibus & idololatriis pollui & cō-
taminari sinit , tu diuina cuius debeat ap-
pellari sponsa . Magna igitur in exemplo
isto Pharisæorum dissimilitudo est : Quia
illi scripturas aduersus Christum igno-
ranter ac falso citabant . Quum verè ex
vico Bethlhem esset oriundus , quod ipsi
nesciebant : minime autem blasphemina-
ret , quum se se filium Dei diceret , id quod
ipsi non poterant capere . Nos autem
sincerè & candidè ac verè citamus Scri-
pturas aduersus abominationes vestras
idololatricas , qui Ecclesia & sponsa Chri-
sti vultis videri , sed omni interim studio
Christū & Ecclesiam eius opprimitis . Et
hoc quidem tu & coricæus tuus cōcede-
ris nobis , donec solidis & incorruptis scri-
pturæ testimonis ostenderitis contra-
rium . Sic igitur vicissim argumentamur .

Omnis accusatio & gloriatio funda-
mento veritatis carens , falsa est .
Tua tam accusatio , quam gloriatio ca-
ret solidi fundamento veritatis .
Ergo ficta ac falsa est .

QBÆST. 4.

Qui Dei verbum quod iam antea habuit, legit, prædicavit, & fideliter explicavit Ecclesia: nunc demum in lucem proferre nituntur, iij frustæ & incassum laborant. Euangelici autem Doctores ac Ministri nunc demum illud moliuntur. Ergo frustraneum laborem suscipiunt.

RESPONSIO.

Si per omnia verum esset, quod tibi a cœlis arrogas: nempe quod vera sitis Ecclesia, quod verbum Dei jam antea & habueritis: & fideliter tradideritis & explicaueritis populo: tamē falsissima esset consequentia. Quod propterea frustrè laborent, qui id Ecclesiis adhuc patet facere ac prædicare, docendo illustrare, & fideliter explicare student. Annon enim ob hoc ipsum legendum, prædicandum & explicandum fideliter est Dei verbum, quia Deus hoc nobis in manus dedit? Iā verò quum uno duntaxat, idque certo modo, excepto omnium reliquorū quæ tibi a cœlis vendicas, nihil verum sit: quantò minus existimabis conclusionem tuam veram esse? Nam verbum quidem Dei vos habuisse non inficiat: sed quo loco illud habue-

habueritis , & quām fideliter illud tradideritis & explicueritis populo , id ex eo apparet, quōd eo penitus suppresso, miseros homines in vestris duntaxat traditionibus , fictis ceremoniis ac superstitionibus, & innumeris eiusmodi ludibriis proximata libidine tenuistis attonitos. Ut verissimè in vos illud competit, quod Iudaicis illis doctoribus exprobrat Dominus. Væ vobis Legisperitis (sive interpretibus) inquit, quoniam sustulisti clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Luc. xi. 52. Itaque ut electorum suorum saluti consuleret Deus , necessarium ei visum est aliquos excitare suo spiritu , qui rursus excussa vobis è manibus clave hac, quæ (quācum in vobis fuit) perfidè erat abscondita , liberè iterum Regni Dei ianuam , à vobis obseratam atque obstructam, recluderet hominibus: & verum eis patefacerent in illud ingressum. Non quod non semper aliqui fuerint qui resisterent vestræ tyrannidì, ac perfidiæ vestram taxarent: sed quia Deo placuit clariore luce detegere vestram hypocrisim , & mysterium illud iniquitatis, cuius vos Ministri esse vultis, toti mundo patefacere. Itaque hæc re-

18 C H R I S T . A D P O R T V M
responsonis nostræ summa est.

Qui verbum Dei, quod Apostatica Ecclæsia (id est, Romanus ille Papa, cū vñcta & rasa sua colluuie pro nihilo habuit, super pressit & adulterauit, in lucē reuocant, & mundo proponūt, Dei spiritu & auxilio instructi: iij nō incassum laborant: sed Dei ipsius gloriam vindicant, Ecclesiæ autem & electorum promouent salutem.

Euangelici autem Ministri illud faciunt, singulari prorsus & admirabili Dei auxilio instructi.

Ergo non frustra laborant, sed prorsus utiliter, & magno Ecclesiæ bono: neque vani aut irriti sunt ipsorum conatus.

Q V A E S T . 5.

Q Vi non recipiunt & admittunt Dei verbum, nisi quatenus ad ipsorum sensum exponitur (id est, qui suum præiudicium præferunt Dei verbo aut ad id illud afferunt) ij verè affirmare non possunt se illud purè & fideliter docere.

Euangelici doctores nihil admittunt, nisi ex ipsorum sensu intelligatur exposta turque.

Ergo minimè fideliter, aut sincerè docent Dei verbum. Probatio minoris siue assumptionis

CONTRA VERRONEM. 19

ptionis, à tribus testimentiis ac documentis desumpta. 1. Quia ubi Christus dicit, si in occulto ieunaueris, pater tuus, qui aspirat in occulto, reddet tibi in propatulo: id Lutherus simpliciter negat. *Enigmatonem*: quia dicit ieunare non esse meritorium. 2. Quia quum scriptura traditiones seruandas præcipiat, Lutherus faciendum id negat, præter alia multa horum similia. 3. Quia ubi Christus ait: *Hoc est corpus meum.* Matth. 26. 26. Caluinus id negat simpliciter, ac dicit hoc non ita esse.

RESPONSIo.

Non posse pure docere Dei verbum qui ad id suum præiudicium afferūt, & eo tantum nituntur, non medo vltro fatemur, sed & à multis id fieri, ac factum esse hactenus, iam dudum questi sumus. Cæterum huius criminis quam solidè nos conuincas, eiisque reos nos peragas, age paucis tecum expendito. Primò, dicas Lutherum negare præmissionem Christi Matth. 6.v.18. Pater tuus qui aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo. Sed quia horribilis blasphemiae esset hoc ita simpliciter infaciari, & Christum mendacij arguere, addis probationem, vs

20 C H R I S T . A D P O R T V M
reprehensioni,id est calumniæ tuæ fidem
facias? quia dicit iejunare non esse opus
meritorum,quasi dicas, quicunque hoc
dicit,is negat promissionem Christi. At
hic,mi Verro,ne tibi consequentia nega-
retur, demonstrandum ante omnia tibi
erat ex Scriptura , vllum opus quod præ-
statur à nobis,meritoriū esse, etiam quod
Deus iussit nos facere : vt de ficto ac hy-
pocritico tuo iejunio , & aliis vestris fig-
mentis, quæ Deus non præcepit , neque
probat,nihil dicamus. Quod si dixeris,
Meritum eo stabiliri,quod Dominus am-
plissimā mercedem ac remunerationem
promittat fideliter obedientibus suis
mandatis,vt Matth.5.12.& hoc loco & a-
libi: Respondemus nos : mercedis ac re-
munerationis promissione,meritum nul-
lum stabiliri posse , neque statim meri-
tum asseri ubi mercedis mētio sit in Scri-
ptura:quia vt promissiō,ita etiam merces
gratuita est , quæ fidelibus promittitur
ac datur à Domino , non debita : sicuti
Dominus dicit , si feceritis omnia qua
præcepta sunt vobis,dicite, inutiles serui-
sumus. Nam quod debuimus facere feci-
mus.Luc.17.10.Meritum autem,quod o-
peribus affingitur,non gratuitam mer-
cedem

CONTRA VERRONEM. 21

cedem, sed debitam respicit. Sicuti Paulus Rom. 4.4. docet. *Ei qui operatur, in-* *Vide etiā
cap. II.6.*
quit, merces non imputatur ex gratia, sed
ex debito. Hoc autem ceu absurdissimum
reiiciens & explodens, clarissime docet
Mercedem & Meritum non esse conse-
quentia, nō magis videlicet quā gratiam
ex qua illa proficitur, & opus quo istud
nititur. Itaque non si quis Meritum negat
is propterea negat verbum Christi, & gra-
tuitam mercedis ac remunerationis pro-
missionem: sicuti tibi tanto Theologo, &
socio tuo videtur. Quia videlicet merces
ac debitu vobis idem sunt. Et aliquid non
esse meritorium, & tamen mercedem à
Domino habere, vobis cōtradic̄toria vi.
dētur: vnde etiam factum est, ut diabolicū
istud meriti figmentum ausi fueritis sub-
sticuere in gratiæ Dei locum. Ex his igitur
ni fallor, Verto, impudētem tuam calum-
niam potes agnoscere.

Altera tua probatio est, quod Lutherus neget traditiones obseruandas esse
quum Scriptura hoc præcipiat. Act. 15.19.
20.28.29. & 16.4. 2. Thes. 2.15. Vbi rursus
tuum pudorem & conscientiam prodis.
Itaque vicissim ita habeto.

1. Ostende nobis locum & verba
b. iij.

22 CHRIST. AD PORTVM

Lutheri, ubi illa seruari prohibeat, quæ locis citatis præceperunt Apostoli. Quod dum non facis, calumniator merito censaberis, donec id feceris.

2. Doce etiam ex Scriptura, quo iore partim pueriles ac superstitiones, addetiam impias & idololatricas, adeoq; ipsi Apostolorum scriptis ex diametro repugnantes, partim etiam tyrannicas traditiones, ac leges vestras postules in Apostolicarum traditionum numero censi. De vestris superstitionibus fugiendis, quod scripsit Lutherus, rectè scripsit. Sed eum propterea Apostolorum traditiones ac præcepta violari iubere, tua mera cælunia est ex diabolica superbia profecta. <sup>Vide 2.
Cor. xi. 14.
& 15.</sup> Qum inter traditiones Apostolicas & vestras superstitiones tantum discrimen sit, quanta inter summos cœlos, & ipsos inferos est distantia.

3. Si traditiones verè Apostolice, de quibus Scriptura, locis à te citatis loquitur (quæ nullum certum tempus, aut locum respiciunt) semper sunt obseruandæ: quare igitur vos non obseruatis duas præcipuas, quas illic (nempe Aet. 15. 19. 20. 28. 29.) seruandas præcipiunt Apostoli? Nam de idolorum quidem pollutione

C O N T R A V E R R O N E M . 23
tione notū est quā speciosas exceptiones,
& prætextus habearis, cur videlicet repu-
diatis Gentiliū superstitionibus, peculia-
rē vobis exeritis idololatriam. De Scor-
tatione verò fugiēda, quid respondebitis
vos vniuersi Prælati, Monachi, & sacri-
ficiuli? Aduoca Asinum tuum cum pullis
suis in subsidium. Apostoli ex æterno &
immoto Dei præcepto dicunt & edicūt,
non esse scortandum. Tu, & infernales
ranæ vestræ, quæ nuper ex inferis prore-
pserunt, vobis in subsidium excipere au-
detis, & Deo in faciem responsare: si quis
vestrum scortatione sese polluat, minus
tamen eum peccare, quām si cōtraheret
matrimonium, quod Deus tamen sancti-
ficauit & instituit. Et ne videamini non
magno zelo edere hoc diaboli oraculū,
etiam rationem reddere vultis vestræ
blasphemiae, Dei scilicet iustitia & iudicio
longè superiorē. Quia qui scortatur
(dicunt ranæ vestræ) is scit se peccare &
agnoscit peccatum suum. Qui verò vxo-
rem dicit, putat se recte facere, & nullum
in ea re peccatum agnoscit. En quām
congruenter varicinio Apostoli quod
I. Tim. 4. habetur. Qui igitur tam auda-
cer, & tam impudenter, & tam impiè,

Dei præceptum aboletis, quâ fronte audetis queritari vestras traditiunculas haberi pro nihilo , aut à Lutherò impugnari ? Meritò scilicet sanctis Apostolis conferendi estis , vos impij & impuri sacrificuli.

4. Denique ex te quæro : si traditiones tuas subiicis Scripturæ authoritati (sicuti hoc loco earū obseruationem ex Scriptura euincere conaris) quare igitur Scripturam sacram, tuis & vestris omnibus commentis nō superiorem agnoscis: & quid te fatigas tandem in eleuanda eius auctoritate? Vide quām multa te possemus vicissim interrogare, quæ te, si ex Scripturæ veritate tibi respondendum esset, cogerent obmutescere. Responde enim etiam ad hoc : Quum 2. Thess. 2. 15. de obseruatione traditæ doctrinæ Apostolicæ præcipiat Apostolus : cur etiam vos non obseruetis doctrinam Apostolicam omissis vestris traditionibus & commentis, quæ cum illa pugnat ex diametro.

Tertia , & postrema tua querela est: quod vbi Christus dicat : Hoc est corpus meum, Matth. 26. Caluinus id neget apertere, & dicat non ita esse. Hic saltem pudorem abs te requirerem, cognitæ tibi malitia

litiae & audaciae tui testem, domitorem
ac vindicem, si turpitudinem tuam posses
agnoscere. An nescis Caluini scripta om-
nium manibus versari: ut quid scripsiterit
ac senserit hac de re, & quomodo Domi-
ni verba explicarit, omnes rectius sciant,
& intelligent quam tu, & vniuersa tua col-
luiies qui nihil aliud didicistis, quam a-
liorum recte dicta ac scripta vestris calum-
niis peruertere. Non negat Caluinus, Pa-
nem in Cœna corpus Christi esse: ut qui
multo melius docuerit ex ipsa Sacramen-
torum natura ac proprietate, & ex ipsis
Christi verbis, quomodo panis sit corpus
Christi, quam tu ac tui similes: Sed por-
tentosam vestram transubstantiationem
negat, eamque dicit verbis Christi nulla
ratione posse stabiliri. Et recte quidem:
quum Christus non dixerit: Sub hac spe-
cie est corpus meum: vel hoc, id est, hic
panis transubstantiatur in meum corpus:
sed est corpus meum. Non igitur Christi
verbum, sed sacrilegum vestrum cōmen-
tum negat, & inficiatur Caluinus: quo ipsi
scelerate peruerritis verbum Christi, te-
merè affirmantes, eum, panem non dice-
re corpus suum, sed in hoc transmutare.
Vide igitur, Verro, quam solidè conclu-

26 CHRIST. AD PORTVM
das, & clamites, nos Dei verbū nusquam
admittere: nisi ad nostrum sensum detor-
tum: Quin igitur vicissim potius ita argu-
mentamur.

Quicunque traditiones hominum &
inanis somnia, ac figmenta, ab ipso puro
Dei verbo & cultu separant, & illis repu-
diatis huius docent obseruantiam, illi re-
ctè ac pure istud docent, & quidem eo
rectius ac purius quò diligentius illa se-
parant.

Euangelici autem Ministri ac Docto-
res illud faciunt. Ergo,

Verbum Dei rectè ac pure docent.

Vt tamen scias quid Dominus ipse de
commentis ac traditionibus vestris sen-
tiat ac pronuntiet, vide & expende quæ
Math.15.7.8.9.dicit & citat, ex Ies.29.13.

QVÆST. 6.

SUMMA argumenti tui hæc est.
Qui certos duntaxat quosdam libros Bi-
blicos recipiunt, reliquos vero ipsis aduersan-
tes (id est Apocryphos) repudiant & non a-
gnoscunt pro Canonico, illi minimè fideles
Scripturæ, ac verbi Dei præcones sunt, sed po-
tiùs è contrario testantur se & sanctos Apo-
stolos & Patriarchas habere pro nihilo, dum
pluris

pluris suam ipsorum doctrinam ac proprium
sensem, quam illorum libros ac scripta a-
stimant.

*Euangelici autem Doctores separant quos
dam libros à Canone, nempe Apocryphos,
quia sciunt hos sibi aduersari, ac certos dun-
taxat aliquos recipiunt, videlicet Canonicos.
plus sibi ipsis, quam Apostolis & Patriarchis
tribuentes.*

*Ergo minimè sunt fideles praecones verbi
Dei, sed Apostolos & Patriarchas præse con-
temnunt.*

RESPONSIO.

*Q*vi & Christi Domini & Apostolo-
rum, atq; ipsius etiam antiquissimę
Ecclesiæ, in libris Canoniciis ab Apocry-
phis distinguendis autoritatem, non
autem vestram in illis omnibus confun-
dendis vesaniam sequuntur, ij fideliter,
sincerè & integrè agunt, & prorsus fa-
ciunt, quod pios ac fideles Doctores
decet.

Ministri Euangelici illud faciunt. Er-
go sincerè agunt & integrè: & nihil aliud
quam quod & fides & munus ipsorum
postulat.

Quod ad assumptionis nostræ confir-

mationem attinet, lege & expende, quid
Dominus Math. 22.40. respondeat perito
illi ac sapienti legis interpreti: vbi disertè
ac clare docet vniuersam pietatem, Le-
gē ac Prophetis contineri. Lucē autem
24.44. vniuersam Authenticam Scriptu-
ram, in Legem Mosis, & Prophetas, &
Psalmos distinguit. Tu autem porro o-
stende nobis, quibus testimoniis libros i-
stos Apocryphos, quos in numerum Au-
thenticorum assumpsisti, canonizarint
Christus & Apostoli. Veteris Ecclesiæ te-
stimoniū si admittis, vide Melitonis E-
piscopi Epistolam de Scripturis ac libris

Vide etiā lib. 3. Hist. Veteris Testamenti, in historia Ecclesia-
stica Eusebij, lib. 4. ca. 24. Et testimonium
Origenis, lib. 6. eiusdem historiæ cap. 18.

Quod si tibi hæc non sufficiunt, ostende
vbinam libri isti Apocryphi, de quibus
querelā moues, in Hebræorum & vete-
ris Ecclesiæ canone habeantur. Quum
Origenes disertè testetur Hebræos Ma-
chabæorum libros habere quidem, sed
extra, id est, extra Canonem Scripturæ
authenticæ. Scire tamen debes, Vero,
nos non reiicere libros Apocryphos, si-
cuti tu nos facere affirmas, sed tantum à
verè Canonicis, qui testimonij à Christo

Domino

Domino Apostolis, & antiqua Ecclesia
habent, distinguere. Quod enim Aposto-
lorum Canones nobis obiicitis, eos à Pe-
tro Apostolo & reliquis conscriptos esse
tum credemus, vbi ex eorum scriptis hoc
testatum feceris.

Mera igitur tua calumnia est, quod di-
cis nos propterea eos repudiare, quia no-
bis aduersentur: quum argumentum ve-
rissime possit in vos torqueri. Eos videli-
cet ob hanc ipsam causam canonizari à
vobis, quia existimatis vos aliquid in iis
subsidijs habere, quo veri libri canonici
vos destituunt. Vnum mihi pro tua eru-
ditione obserua, mi Gerro, quod tu &
præceptor tuus existimatis, Apostolos
& Patriarchas librorum Apocryphorum
autores esse. Vocas enim illorum libros,
& Scripta.

Q U E S T . 7.

Ex quo ipsi etiam haretici falsa sua dog-
mata probare & astruere conati sunt, id
nouam illā Euangelicorum doctrinam nihil
probabiliorem, aut fide digniorem facit, vt
cunque ad eam stabilieram id sedulo etiam
adhibeatur ac prætendatur ab ipsis. Sed ex
Scriptura sua omnia probare voluerunt hæ-
retici.

Probatio assumptionis: *Quia Lutherus Scripturam, hæreticorum palliū appellat. Ergo Scriptura nihil patrocinatur nouæ doctrina Euāgelicæ, neque eam eo probabiliorem reddit, etiamsi sedulò & multū ab Euangelicis prætendatur.*

RESPONSIO.

Mera fallacia accidentis est: cui deinde petitio nem principij tui adiungis. Vnde non est mirum, si tam Sophisticam ac falsam conclusionem inferas.

Accidit enim Scripturæ S. quod Dei verbo statim ab initio creationis accidit. Nempè ut eam peruertere, & per sua organa corrumpere, idest, ad alienum sensum torquere cōetur Diabolus. Sed num propterea id Scripturæ ipsius vitio, aut veritatis in ea traditæ ambiguitate accidit: & non potius Diaboli, & organorum ipsius malitia & improbitate? Libenter diceres Scripturam S. etiam hæreticis patrocinari: si tam liberè enūtiare auderes, quām impiè ac blasphemè id sentis. Atque scire debes, Dei veritatem, quæ Verbum enim Dei manet in eternum. *Ief. 40.* *I. Pet. 1. 25.* bo eius tradita nobis & explicata est, æternam & immotam esse: non autem ita ambigua aut flexibilem, vt in contrarias

trarias partes trahi possit. Deinde verò non posse nec debere eam à scripto Verbo, ab ipso Sancto Spiritu dictato separari: aut nihil nisi inanem verbi sonum retineri, ad aliquid aliud, quod à Dei veritate alienum est, significandum detoratum. Hoc autem ipsi aduersario veritatis & omnibus hæreticis proprium ac peculiare esse. Ut verissimè dixerit Lutherus, Scripturas hæreticorum palliū esse: quia dogmata sua illis fucare ac palliare solēt; probare autem ea ac demonstrare ex illis non possunt. Ratio autem illius est: quia externum verborum sonum, siue contextum separant à sua veritate, neque in suo genuino sensu citant Scripturas: sed potius ad alienum, aut etiam contrarium eas detorquent. Qum enim citant Scripturas, non nisi verba earum citant, sed ad id quod ipsi sentiunt detorta: Veritate verò ipsa, quæ iis significatur, omis sa, atque suppressa. Quis autē sanus hinc collegerit Scripturam simpliciter ac per se hæreticis patrocinari, etiam in suo genuino sensu acceptam? An enim Diabolo patrocinatur Scriptura quia aduersus Dominum ea usus est? Dolosè scil. eam citās, contra illius mentem ac veritatem. Aut

Mat. 4.6.
Psal. 91.12

Deut. 6.

num Dominus non debuit nec potuit aduersarium ex Scriptura ipsa refellere, quod is eandem sibi usurpare ausus fuisset? Num scripta Pauli ideo patrocinantur errorib. aut hæresibus, quia homines improbi ad suum ipsorum exitium illa detorquent? Sicut D. Petrus id restatur

Seductores ac hæretici Scripturas tenent ad speciem, nō ad salutē. Aug. de Baptis. cōtra Do- natistas libr. 3. cap. 19.

2. Tim. 3. 15. 16.

2. Petr. 3. 16. Ac non potius cœlestem Dei sapientiam nobis explicant: modò recte ac piè à nobis intelligantur: facta scilicet collatione cum aliis etiā Scripturis propheticis & Apostolicis? Scriptura S. æter nam Dei Sapientiam nobis patefactam continet, adeoque nos sapientes reddere potest ad salutem, atque etiam utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in iustitia, vt cunque vel vos Sacrificuli ac Sophistæ eam pro nihilo habeatis, vel eam corruptant, & adulterent hæretici.

Itaque quod tum ad præmissas tuas, tum ad totam tuam consequentiam, quæ inde nec sis, attrinet, scire debes, eam fictam, falsam, ac sophisticam esse, & ex ipius Diaboli schola profectam, & talem meritò ab omnibus habendam, nisi clare ac perspicuè omnibus testatum feceris, nos non aliter ad cōprobandam ipsam Euan gelicam

CONTRA VERRONE M. 33
gelicam Veritatem Scripturas citare,
quā sicuti hæretici ad fucanda sua do-
gmata eas citant. Atque hoc quidē prius
tuum Sophisma est. Quod ad alterum,
nempe ad principij tui petitionem atti-
net, iam supra tibi respondi, & adhuc re-
spondeo. Si ex diuinis Prophetarum &
Apostolorum scriptis demonstrare pote-
ris, nostram doctrinam Euangelicam, quā
profitemur, illis non consentaneam, &
congruentem esse, non modò noua tibi
cenetur, sed & omnium odio & ex-
ecratione digna sit. Sin verò illud non po-
tes, neque poteris vñquam præstare, tu
potius inceptus, & impudens calumnia-
tor habearis, quām doctrina veritatis
cuiquam videatur noua.

QVÆST. 8.

Qvarum fidem non modo in se non conti-
net Scriptura, sed & manifestè redar-
guit ac refellit, ym pudenter faciunt, si hanc
perinde citare ausint pro se, ac si ex ea ipsam
veritatem docerent.

Fidem Euangelicorū non modo nusquam
in se continet Scriptura, sed potius eam redar-
guit, refellit, atque subuertit.

Ergo magna illorum audacia est, quod

34 CHRIST. AD PORTVM
perinde eam citant, ac si ex ea, puram doc-
rent Dei veritatem.

Probatio assumptionis, dupli argu-
mento nitens. 1. *Quia à Catholicis* id
est Romani Episcopi a seclis) abunde con-
victi sunt ex Scriptura. *Επικατασκεψην* huius
probationis: ipsi hoc probè sciunt accogun-
tur fateri. 2. *Quia ipsi inter se alijs alios*
condemnant ex Scriptura.

RESPONSIΟ.

Si minor siue assumptionis tua vera est,
vera etiam erit tota cōsequentia. Sin
minus, tota erit falsa. Itaque quodcum
ad ipsam splēdīdam assumptionem, cum
ad bellam eiusdem probationem attinet,
ita habeto.

Qui dicit quæ non sunt, & iactat quæ
non præstitit, & ex temerario accidente
rem æstimatis & homo vanus & glorio-
sus Thraso, & improbus Sophista est.
Sunt enim illa harum rerum definitio-
nes propriæ.

At tu illa facis, Vero. Ergo hæc in
te simul competunt. Quod si vero existi-
mas, tibi iniuriam fieri, age ostende nobis
magnas illas & præclaras victorias, quas
prædicas, hoc est, doce nos disertè in qui-
bus

C O N T R A V E R R O N E M . 35

bus fidei articulis, & vbi, & quando: item
a quibus, & quomodo, id est, quibus ra-
tionibus & argumentis, ex ipsa Scriptura
desumptis, ita conuicti sumus, ut possimus
meminisse, ac nos tibi testes sistere. Nam
nos id probè scire, falsò affirmas: potius
eiam scimus contrarium, nempe quod
tu hæc temerè effutias. Quod si nihil isto-
rum ostendis, aut potes ostendere, ne exi-
stimes igitur nos in respondendo tibi i-
niquos esse. Sed tuam potius ex temera-
tia tua assumptione, & stulta eius proba-
tione audaciam agnoscito.

Quod verò alterum probationis tuæ
argumentum concernit, quid tum, si qui-
dam ~~enemis~~ inclamta nos, & nos
vestro more condemnare volunt? Num
propterea Scriptura ipsa nos condemnat
quia ipsi abutuntur scriptura: neque Dei
veritatem in ea agnoscunt, quam neque
vestræ, neque illorum condemnationes
vnquam potuerunt cōuellere? Num Pau-
lus etiam ita argumentatur. I. Cor. II. 9.
Oportet hæreses inter vos esse: Ergo Scri-
ptura vtrinque vos condemnat? Ac non
potius veram & longè aliam causam o-
stendit? Vide igitur, Verro, quam probe

36 CHRIST. AD PORTVM
ac docte omnia concludas, & tuam a-
gnosce petulantiam.

QVÆST. 9.

Si Laicis, & idiotis, imò etiam mulierculis
Scriptura pro arbitrio intelligēda, id est
interpretanda, concedatur, fieri non potest ut
in Christianitate vera unitas siue concordia
consistat.

Probatio consequentis, à maioris & mi-
noris comparatione: quum ipsi etiam docti
intervos (Euangelicos) qui tamen numero
pauciores sunt, nullam possint in eare soli-
dam concordiam inire: tñugra το νεν ab ef-
fectu contrarij: quin unum & eundem lo-
cum aliis aliter semper intelligere velit, ac
interpretari.

R E S P O N S I O.

Verè ac propriè tua sententia est:
quòd tantum inter vos, & nos dissi-
dium sit, causam esse, quòd Scriptura sa-
cra omnibus non modo legenda, sed &
pro arbitrio interpretanda concedatur.
Hinc enim dissidia ista gigni, id quod vel
ex doctiorum inter nos mutuis concerta-
tionibus, siue variis Scripturarum inter-
pretationibus manifestum sit: Dū alias
sic

scilicet, alius verò sic, vnum & eundem locum interpretari velit. Vnde libenter concluderes, ut appareat, neque doctis, neque indoctis Scripturas legendas esse. Nam si idiotas ad dissidia ac discordias lectio eius impellit, & ideo ab illa arceri debent: in ipsis autem doctioribus eundem habet effectum, certè ob eandem causam, & paritatione ab ea ipso etiam erunt depellendi. Quis igitur leget Scripturas, si neque docti neque indocti eas legent? Et quid vobis doctioribus sacrificulis fiet? Nempe de rectè intelligenda & interpretanda Scriptura nō multum certatis: de supprimenda verò vel deprauanda satis egregius inter vos est consensus.

Quod igitur ad argumentum tuum, & verborum tuorum contextum atinet, quibus illud concepisti, scito meras æquationes esse, & verborum ludibria, petitione principij tui, & consueta tibi accidentis fallacia fucata.

Nam primo, quum nobis Laicos & idiotas, cum mulierculis obiicis, videris tibi de bestiis quibusdam verba face e, quas nihil scire, nihil intelligere oporteat: quum tamē Christus pro discipulis suis eos agnoscat, quum cœlestis sapiètia

38 CHRIST. AD PORTVM
reuelatione eos dignetur. Matth. II. quū
salutaribus regni sui mysteriis eos velit
erudiri. Deinde dicis, his Scripturam pro-
prio arbitratu intelligendam, id est, ut
postea explicas, interpretandam conce-
di: calumniosè videlicet, de priuata inter-
pretatione exponens, quod de assidua le-
ctione, meditationeque erat accipiēdum.
Tum tertio loco ingens illud incommo-
dum, quod proponis, hinc proficisci ait:
ut Christiana vnitas nulla possit conser-
uari. Christianismi, siue Christianitatis
nomine impurum vestrum Papatum, vni-
tatis autem voce, communem in omnem
idolomaniam, ac superstitiones vestras,
conspirationem declarans. Atqui scire
debes, nos, quum ipsum scriptum Dei
verbum, libris Propheticis, & Apostolicis
comprehensum, non priuata autoritate,
vel arbitrio, ut tu & laruæ tuæ calumnia-
mini, interpretandum, sed assidua ac dili-
genti meditatione audiendum, legēdum
ac cognoscendum proponimus Deipo-
pulo, adhibita fideli ex reliqua Scriptura
eiusdem interpretatione, salutare illud a-
limentum Dei familiæ, cui nos prefecit
Dominus, subministrare, restitueréque:
quod vestra perfidia & improbitate ei
fuerat

Mart. 24.
45.

fuerat subtractum. Vos enim verbum Dei excusistis populo è manibus, postquam ipsi cœpistis illud contemnere, & habere pro nihilo, cumulandis superstitionibus vestris intenti: ne videlicet illud legendō meditandōque vestras fraudes & imposturas agnosceret. Voluistis enim vestris traditionibus ac figmentis homines addictos esse, quum præ illis iam vilesceret vobis Scriptura, itaque ab hac, ne quid melius cognoscerent, eos abstraxistis. Sicut etiam ausi fuistis, ipso Christi Sacramento eos defraudare, nempe, ut omni ex parte subtraheretis miseris Christi oculis cœlesti illud salutis pabulum: carne autem illarum vos ipsos saginaretis: sicuti præclarè ingenium & mores vestros Ezechiel depingit, cap. 34. & alij Prophæ passim. Summa, præclarè cauere voluistis, ne oues Christi voci pastoris sui assuefcerent, cùmque disserent discernere à mercenariis.

Sed ne queri possis, hæc immeritò aut calumniosè in vos conferri à nobis, age Paulò proprius rem consideremus, & ex suis eam demonstremus fontibus. Sacræ Scripturæ lectionem, assiduámque meditationem veteri populo non modò con-

Ies. 56. Ter.
14. & 25.

40 CHRIST. AD PORTVM

cessam, verum etiam præceptam suisse
inficiari non potes: quum sit manifestius
quam ut negari possit. Hinc mos fuit a-
pud Israélitas, ut Scriptura Legis coram
toto populo, certis ac statis diebus, publi-
cè recitaretur: sicuti Nehem. 8. Act. 15. 21.
& alibi videre est. Ideo ipsis etiam Regi-
bus peculiariter hoc præceptum erat, ut
volumen Legis penes se descriptum ha-
berent, in eoque legendo meditandoque
se exercearent toto vitæ suæ tempore.
^{Act. 8. 30.}
^{32.} Deut. 17. Et Eunuchus ille, de quo Act. 8.
habetur, nonne Prophetam Iesaiam le-
gebat? Vnde certè apparet lectionem
Scripturæ in libera eius fuisse potestate.
Quod enim non intelligebat locū quem
legebat, alia quæstio est.

Qui igitur fit, quod lectionem sacræ
Scripturæ Noui Testamenti populo pro-
fus vultis esse interdictam? An fideles no-
ui Testamenti, maiore servitute constri-
cti sunt quam illi veteres? Act. 17. 11. legi-
tur de fidelibus quod Scripturas scrutati-
sint quotidie ut ad illas ipsam Apostolo-
rum doctrinam, ceu ad Lydium lapidem,
quum adhuc noua ipsis videretur, exige-
rent, & examinarent: idque ipsis lauditi
buitur. Quo igitur sacrilegio vos istud po-
pulo

CONTRA VERRONEM. 41

pulo Christiano nunc non permittitis?
 Prophetæ & Apostoli sua omnibus fide-
 libus, & toti posteritati scripserunt: Ideo
 Paulus suas Epistolas voluit in diuersis
 Ecclesiis recitari. Col. 4.16. At tu & laruæ
 vestræ existimatis, imò etiam contendi-
 tis, Scriptum Dei verbum ad vos solos
 sacrificulos pertinere. Paulus non sacrifi-
 culis, sed Christi fidelibus scribens, dicit:
 sermo Christi inhabitet in vobis copiose
 cum omni sapientia, docendo & commo-
 nefaciendo vos mutuo Psalmis, hymnis,
 & cantionibus spiritualibus, Col. 3.16. Et
 alibi, fideles, aduersus insidias diaboli ini-
 litantes, ad pugnam ac certam spem vi-
 toriaz instruens, iubet eos etiam galeam
 salutis recipere, & gladium spirituale, hoc
 est (ut ipsemet interpretatur) Verbum
 Dei. Et addit: Omni prece & supplicatio-
 ne precantes omni tempore per Spi-
 ritum, & illi ipsi rei inuigilantes cum omni
 perseverantia, id est, Verbo Dei dies ac
 noctes incumbentes: sicuti Psal. 1. habe-
 tur. At vos stantes è contrario clamatis
 idiotas, id est, Christianū populum nihil
 ex Dei verbo discere, & nihil scire, adeó-
 que nihil istorum attingere oportere.
 Itaque pro ipso viuo Dei verbo, à quo de-

Vide Au-
gu. Epist.
3. ad. Volu-
fianū pag.
15. d. 16. a.
Tom. 2.

42 CHRIST. AD PORTVM

peilitis miseros, superstitionū vestrarum
 ipectra, & muta idola vestra illis obiici-
 tis: ut inde, scilicet doctrinam & solatium
Heb. 4.12.
1. Pet. 1.23.
 hauriant: Annon enim hæc Gregorij Pon-
De Con-
fess. dist.
3. c. perla-
rum ad
nos.
 tif. vestri verba sunt? Aliud est picturam
 adorare, inquit, aliud per picturæ histo-
 riā, quid sit adorandum, addiscere. Egre-
 gium verò idololatrię pallium. Sed addit:
 Nā quod legentibus Scriptura, hoc etiā
 idiotis præstat pictura cernentibus: Quia
 in ipsa, id est in scriptura, ignorantes vi-
 dent quid sequi debeant: in ipsa (id est) in
 pictura legunt qui literas nesciunt: Vnde
 & præcipue gentibus pro lectione (nem-
 pe verbi Dei) pictura est. Increpat autem
 Serenum Massiliēsem Episcopum, quod
 sanctorum imagines, id est, idola illa, quæ
 in Templis vestris prostituitis, confre-
 gisset. Hinc iam τὸ θρυλού αὐλαῖον illud &
 vobis visitatum. Imagines, id est idola illa,
 libtos Laicorum esse: præterito eo, quod
 Ieremias clamat, Eruditio nem vanita-
 tum esse lignum: & quod Habacuc docet,
 conflatile esse annuntiationem menda-
 cij. Et quod addit: Vx qui dicit ligno, cui-
 gila: & lapidi insensibili, excitare: ipséne
 docebit (te?) Item, David beatos pronun-
 tiat qui in Lege Dei meditentur die ac
 nocte,

noſte, Psal. i. Et eandem in sapientia erudiſſe paruulos, dicit, Psal. 19. At vos impij clamatis è contrario, Scripturam sacram hæreticos gignere: ipsum sacrosanctum Dei verbum ac nomen blasphemantes.

Ex quibus iam agnoscis, Vero, de quibus rebus tandem accuses nos, & quam pulchre de tuis, vel vestris potius sacrilegiis nos admoneas: Veritus scilicet ex nostro silentio, ne illorum iam dudum oblitii effemus.

Primò igitur, non est quòd priuatam interpretationem obiectes nobis, ad tempore vestrum sacrilegium: Quia sciimus Scripturam priuatæ interpretationis non esse, antequam tu sapiētiam tuam ^{1. Petri. 20.} nobis proderes. De quotidiana Scripturæ lectione ac meditatione hic agitur: à qua vos Christianum populum arcere vultis: nos autem ad illam ipsam omnes inuitamus.

Deinde, non est quòd de Christiana veritate & concordia garrias. Scimus enim ex doctrina Christi & Apostolorum, mutuam charitatem & cōcordiam nobis colendam esse: ut in Christo Iesu Domino nostro veram cum Deo communionem habeamus. Sed vestram con-

^{Ioan. 17. 1.}
^{Ioan. 1.}

44 CHRIST. AD PORTVM
cordiam deserere, est veram concordiam
cum Deo & sanctis ipsius inire. Etsi enim
Paulus vult, ut eodem animo inter nos
mutuo affecti simus, tamen hoc suo cer-
to termino limitat ac definit, quin ad-
dit: *κατὰ χριστὸν ἵνα σὺν*. Rom. 15.5. Hac igi-
tur vera demum eius concordiae, quæ
Christianos decet, causa formalis, & spe-
cifica differentia est. Itaque alio in loco
præcipit, ne impari iugo copulemur cum
infidelibus: rationibus etiā & causis gra-
uissimis satis luculenter expositis. 2. Cor.
6.14.

Rom. 8.
28.39

Denique, non est quod verearis, ne
importunitate quorundam, qui dissidia
& scandala excitant, fidelium in Deo con-
cordia dissoluatur. Quum Verbum Dei
in æternum maneat: nihil autem sit, quod
electos, quos ita probari & manifestos
fieri oportet, à charitate Dei, & ea unita-
te, qua cum eo coniuncti sunt, auellere
possit & separare. Ut alterius sophis-
matis tui, quod subinde in ore habes, re-
petitione tibi non fuerit opus. Dum vi-
delicet existimas, lectionem Scripturæ,
dissidia etiam inter doctos parere. Quum
non Scripturæ lectio, sed hominum am-
bitio hoc faciat vel ignorantia: interim
vero

C O N T R A V E R R O N E M , 45
verò electis sua immota in Deo vnitas
constet & concordia.

Q V A E S T . 10.

S I Scriptura Biblica tam facilis est intel-
lectu, (ut scilicet etiam ab idiotis, & mu-
lierculis possit intelligi) & si in ea omnia co-
prehenduntur, quæ ad credendum sunt nece-
saria: Ergo superuacaneum est peculiares Ca-
techismos edere, & tot postillas scribere, &
confessiones. Ratio à contrario conse-
quenti: Quia satius est ex ipsis Bibliis, cess
ipso fundamento, articulos fidei quenque
addiscere.

Sic igitur argumentaris:

Qui peculiares Catechismos, varias item
postillas & confessiones edunt, iij planè testan-
tur Scripturam non tam facilem esse intelle-
ctu, ut à quouis legi possit ac debeat: deinde,
non omnia in ea comprehensa contineri, quæ
ad salutem nobis sunt credenda.

Sed Euangelici doctores, peculiares Cate-
chismos, varias item postillas & confessiones
edunt.

Ergo utrumque istorū veluti aperta con-
fessione testantur. Probatio consequentia:
Quia si scirent à quouis intelligi posse Scri-
pturam, & omnia ad salutem pertinētia, no-

bisque credenda in ea contineri: facile illa
omitterent, & Scriptura ipsa Biblica conten-
ti, ex ea potius sinerent unumquemque fidei
Christianæ articulos addiscere.

RESPONSI O.

1. Vestri respectu, totum argumen-
tum facile concedi potest. Facile enim
concedo, vos & Catechismos scribere,
alienos à Scripturæ sensu, & postillas ac
confessiones edere Scripturæ ipsi repu-
gnantes: quia & non vultis illam à quo-
quam rectè intelligi, & non creditis ple-
nam ac perfectam doctrinam salutis eā
contineri. Sic igitur Catechismi vestri, &
postillæ, ac confessiones, quotquot scri-
psistis, & edidistis, ad stabiliendos erro-
res vestros, totidem perfidiæ vestræ testi-
monia, ac documenta sunt.

2. Quod autem nos concernit, tri-
plex in argumento tuo sophisma reperi-
tur. 1. Duas in Maiore tua quæstiones
misces ac proponis pro vna. Prior est de
facili aut diffici Scripturæ intelligentia:
Altera, de eiusdem perfectione. 2. Fal-
sam causam pro vera ponis. 3. Ad pro-
bandum istud sophisma adhibes fallaciā
consequentis. Quod igitur ad priorem
illam

illam quæstionem attinet, de facili Scripturæ intellectu, ibi planè sophisticam tuam ignorantiam prodis. Putas enim nos vtrinque captos teneri: Nempe, si dicamus difficultem esse intellectu, sequi inde ergo, non omnibus legendam esse. Planè enim existimas nos nō alia de causa lectionem scripturæ etiā laicis concedere, quām quod putemus ab omnibus facile vbique eam posse intelligi. Sin asserramus intellectu facilem esse, statim consequi, superuacaneos esse Catechismos nostros & Postillas & Confessiones. Ratio: quia facile sit rectâ ex scriptura ea petere, quæ in istis nostradamus.

Atqui scire debes, mi Vero, nos ingenuè cum Apostolo Petro confiteri, sicuti in Paulini epistolis, ita etiam in reliqua scriptura, multa esse δύστοντα, id est difficilia intellectu: & tamen inde non sequi quod tu existimas, sed potius contrarium.

Etenim, si multa difficilia intellectu sunt in scriptura, quæ sublimem sensum in se contineant, sequitur fideles homines ad eas legendas tanta maiore cum reverentia accedere, tantoque ardentiore studio, in iisdem perscrutâdis versari,

2. Pet. 3. 15.
Vide Au-
gust. epist.
59. pa. 307.
c. d.

48 CHRIST AD PORTVM
ad auscultandas verò fidelium doctorum
interpretationes eo magis attentos esse
debere. Ut ita facta collatione, certò sta-
tuere possint quid cum Dei verbo con-
gruat: ut in eo tanquam in Dei ipsius vo-
ce possint acquiescere. Nisi forte de do-
ctrina nihil iudicare debent auditores,
sicuti vos existimatis, contra quam Do-
minus præcipit. Iohan. 7.17. Et Paulus, 1.
Cor. 14.29. Et Iohannes, 1.Ioh. 4.1. Vide
etiam Actor. 17. v. 11. Nam igitur, ni fallor,
non sequetur hac ex parte, Catechismos
nostros & Postillas (de quibus tamen ego
quidē non magnopere laboreo) & confei-
tiones superuacaneas esse: Nisi contra-
riorum non sunt contraria consequen-
tia. Difficile enim & impossibile non sunt
idem. Addo tamen etiam alterum: Non
superuacanea hæc fore, aut esse, siue faci-
lis Scriptura ipsa intellectu sit, siue diffi-
cilis. Quid enim? an quia facile intelligi-
tur quid Dominus sibi velit, quem Exo-
20. præcipit. Non occides, non mœcha-
beris, &c. ideo decem præcepta forma do-
cendi Catechistica pueris non sunt in-
culcanda? Et num propterea Euangeli-
orum, ut vocatur explicatio, in qua etiam
exhortationis, increpationis & consola-
tionis

Augu. de
Doctrin.
Christ. li.
2. cap. 6. p.
22. d. To-
3. & quæst.
53. Tom.
4. p. 553.

Idèò e-
nim ista
scribenda
& edenda
sunt, vi fa-
cilius in-
telligatur
Script.

tionis argumenta tractantur superflua esse, etiam si contextus ipse planus & perspicuus sit? Denique si facile intelligitur Scriptura, ergo eò rectius ex nostris confessionibus iudicari potest, nos nihil aliqua dissentaneū credere, aut docere. Quo modo igitur hæ etiā superuacuæ? Et siue essent siue non essent, quid hoc tamen ad lectionem Scripturæ prohibendam aut improbandam?

Sed quia hoc facile vidisti infirmum esse, ideo adiūxisti etiam alterum de Scripturæ perfectione. Si Scriptura tam perfecta est, inquis, ut in ea omnia contineantur, quæ credenda sunt: Ergo superuacui sunt Catechismi vestri, Postillæ & Confessiones: superuacuum enim putas, id trahere velle, his modis docendi quod antea in Scriptura habetur, Ratio: Quum satius sit ex Scriptura ipsa ceu ipso fundamento omnia petere, quam ex nostris Catechismis, postillis & confessionibus. Atque hic primò nos insimulas, hanc scribendo rum Catechismorum, & postillarum, ac confessionum edendarum nobis causam fuisse, quod sciamus non omnia sufficienter in Scriptura contineri: Falsissimam causam ceu veram ponēs. Quum potius d. j.

Vide Au-
gu. Epist.
42. p. 149.
d. Tom. 2.
Ita lib. 2.
de Doctr.
Christia-
na ca. 9. p.
25. d.

50 CHRIST. AD PORTVM
istorum scribendorum edendorumque
hæc vnica nobis causa fuerit & sit, quia
scimus in sacra scripture ista omnia fun-
data, & ex ea desumpta esse, adeoq; per o-
mnia cū ea cōgruere & cōsentire. Quod
quum ita sit, falsa igitur tam tua conse-
quentia, quām eius probatio est. Nempe
propterea superuacula esse, quia Scriptura
abundē ea suppeditet, & ex ea illa peti
possint.

Nam quia omnia habentur in Scriptu-
ra, ideo forma Catechistica, eorum sum-
ma tradenda est iuuentuti pro ratione
captus ipsius. Aut num tu & submonitor
tuus, superuacuum esse dicetis, iuuentuti
decem præcepta inculcare, Symbolum
Apostolicum ei tradere & precationem
Dominicam docere illam, quia hæc om-
nia in Scriptura habentur, & ex ea peti
possunt? Et quia scimus doctrinam no-
stram Verbo Dei contineri, ideo quoti-
diana Scripturæ tractatione, & Euange-
liorum explicatione, subinde monendi,
excitandi & cohortandi sunt homines,
ut eam rectè perceptam retineant, in ea
fortiter & constanter perseverent, deni-
que quæ illa iubet ac postulat, re ipsa fa-
ciant ac præstent, hoc est, ad eandem com-
ponant

CONTRA VERRONEM.

51

ponant vitam ac mores suos. Quanquam ut antea dixi, ad rationem Postillarum nos non sumus adstricti. Quia non paucæ duntaxat lectiones, sed tota Scriprura utilis est ad doctrinam & exhortationem: & quæcunque antè scripta sunt, ad nostram doctrinam sunt scripta. 2. Tim. 3. 16. Rom. 15. 4. Totam igitur Ecclesiis explicandam censemus: habitatamen semper ipsius ædificationis ratione. Denique quia omnia ad salutem scitu necessaria traduntur & habentur in Scriptura, ideo etiam confessiones nobis edendæ sunt, quibus testatum faciamus omnibus, nos non hæreticas doctrinas spargere, sicuti vos Sophistæ clamatis, sed nihil aliud credere, tradere, ac docere, quam quod in ipso claro, perspicuo & expresso Dei verbo habetur. En igitur, Vero, egregias, id est ineptas & sophisticas cauillationes tuas: Et quam hæ parochum deceant, præsertim talem, qualis tu esse vis, tecum cogita.

QVÆST. II.

Si sancta Biblia perse non possunt à quotis rectè intelligi, inquis, non debebatis igitur ea unicuique sub ulnas sternere,

d. ij.

32 CHRIST. AD PORTVM
id est, legendorum facere potestatem) Contumeliosa enim Metaphora vteris à Græco verbo σπόνδας deducta, ut rem x̄a ḡeres, hoc est, rei indignitatem aggraves. Sin verò per se facilē possunt intelligi, inquis: Quid igitur vestris additamentis, glossis, & interpretationibus est opus.

RESPONSIO.

Ad priorem partem tui Dilemmatis respondeo. Tu rursus vana consequentis fallacia illudis nobis. Ex difficultate enim intelligēdi Scripturam, quam locorum quorundam obscuritas parit, tu pro tua sapientia rectā consequi existimas: à nemine Christiano legendam esse Scripturam, vnis vobis sacrificulis & lauis vestris, Scripturæ & Christianorum hostibus exceptis. Quum tamen hoc non sit illius consequens: quia illud non est huius antecedens. Etenim ex rei efficiendæ, ac peragendæ difficultate, non supina cessatio, sed eo maior attentio & industria & sedulitas ac labor cōcluditur. Itaque sicut antea tibi dixi, si quibusdam in locis obscurior est Scripturæ sensus, & intellectu difficilior: non sequitur tamen, ob hanc causam Christianis, lectione eius

ei⁹ interdicendum esse, sed potius vni-
cuique qui eam legere, & legend⁹ profi-
cere cupiat, eò maiore cum modestia ac
sobrietate ad talem lectionem acceden-
dum, maiorēque cum reuerentia ac reli-
gione in ea versandum, denique eò s̄epius
pios ac fideles doctores consulendos, &
attentiūs audiendos esse: implorato sem-
per Domini ipsius auxilio: à quo solo recte
intelligentiæ donum est. Sicuti D. Iacobus
dicit: Si cui vestrum deest sapientia, postu-
let à Deo, qui dat (eam) omnib⁹ benignè,
nec exprobrat: & dabitur ei. Iac. i. v. 5. Vi-
de etiā Ephe. i. 17. 18. Quod si verò absurdum
tibi videtur quod tibi oppono, vi-
de quid Psalmista dicat: dū beatum pro-
nuntiat, nō qui ad vnam aut alteram dif-
ficultatem expauescat, & absterreatur à
lectione Legis diuinæ, sed qui in ea die
ac nocte meditetur. Psal. i. Vide etiam
quid de fidelibus Lucas testetur, quum
dicit, eos quotidie scrutatos fuisse Scriptu-
ras. Act. 17. 11. Quæ quum ita sint, vtrum
igitur maius scelus est, Scripturā sacram
fidelium vlnis substerni à nobis: an à vo-
bis impuris sacrificulis, & Monachis ean-
dem pedibus calcari, & violenter excuti
ex vlnis & manibus fidelium? Aut quo-

54 C H R I S T . A D P O R T V M
niam usque ad ultimam antiquitatem re-
ducis Chaos illud figmentorum veltro-
rum, ostende quando & à quibus in ipsa
primitiva Ecclesia, lectione Scripturæ si-
delibus interdictū fuerit, antequam in-
ualescentibus indies Monachorum su-
perstitionibus Romani Pontificis obti-
nuerit tyrannis.

Altera pars dilemmatis tui meram &
sycophanticam calumniam habet. Pias
enim & eruditas doctorum hominum ex-
plicationes interpretationesque, quæ eò
spectant, ut eò rectius, ac facilius Scriptu-
ra ipsa intelligatur, contumeliosè addita-
menta appellas. Quasi nos a Adamus Dei
verbo, quod ab eo alienum sit, idque con-
tra Dei mandatum, Deu. 4. & 12. Prou. 30.
Malè vos habet Scripturā sacram doctis
annotationibus & scriptis à nostris illu-
strari, & omnibus tam planum reddi illius
sensum. Itaq; pro more tuo facis, ut quod
refellere non potes, saltem atro dente ro-
das ac vituperes. Sed tum calumniæ tuæ
fidem facies, ubi contra Apostolum Pau-
lum euiceris, Scripturæ interpretandæ
dexteritatem, quæ Prophetiæ nomine
censem, & facultatem interpretandi,
1. Cor. 12.
3. 10. & 14.
ca. 11. 1. 2. 3.
4. 11. 26. 27.
1. Tess. 5.
20. non

C O N T R A V E R R O N E M . 55
non singularia Spiritus sancti dona
esse.

Q V A E S T . 12.

Qvicunque sacra Biblia alio modo , ac de-
novo in vernaculam linguam transfe-
runt , multis autem locis audacter ac malitio-
se peruerunt , adulterant , mutilant , & con-
taminant : item additis glossis , & scriptis pro-
prietatium iudicio intentibus , rectum verbi
Dei intellectum , contra ipsam Spiritus sancti
mentem , ad suum sensum detorquent , prae-
terea autem piorum & sanctorum doctorum
ac patrum puram & salutarem interpretatione-
rem sine omni pudore impugnat : illi sua mul-
tiplici & prolixia interpretatione , expositio-
ne que satis cogitandum ac intelligendum
præbent , se ipso agnoscere , ac fateri , Scriptu-
ram sacram perse non potuisse secundum ipso-
rum sensum ac doctrinam à Christianis le-
ctoribus intelligi , nisi videlicet istis artibus
usi fuissent .

Ratio à contrario . Quia si doctrina ipso
rum scriptura & cōsentanea esset , simplici etiam
Scriptura contenti essent , & omissis istis in ea
acquiescerent .

Iam verò Euangelici isti doctores illa om-
nia fecerunt , quæ commemorata sunt , & fa-

d. iiiij.

Ergò satis testatum reddunt, se istud postea
vnius agnoscere ac fateri. Summa igitur tuæ
calumniæ, & cauillationis est.

Si nostra doctrina Scripturæ consentanea
esset, contenti etiam essemus simplici Scriptu-
ra, & in ea acquiesceremus: Non autem noua
& longa interpretatione, & additis glossis,
ad fallendos simplices lectores compositis,
quibus nostram dissidentiam testemus, ean-
dem corrumpemus: impudenter repudiata &
impugnata sanctorum patrum sincera ac sa-
lutari interpretatione.

RESPONSIO.

HÆc impudentissima calumnia tua,
prioris amplificatio est.

I. Primo autem argumentum veris-
simè in vos retorquemus, in hunc modū.

Si vestra doctrina sacræ scripturæ con-
sentanea esset, vos etiam nobiscum ac-
quiesceretis in Scriptura: non autem ea
omissa ac preterita, tam multa, tam absur-
da, & tam impia hominum figmenta, pro
ea obtruderetis simplicibus, sub fido ac
falso Traditionum Apostolicarum nomi-
ne, ac pretextu, eaque magis quam ipsam
salutiferam verbi doctrinam miseris in-
culcaretis. Eiusmodi autem sunt, Missa
vestra

vestra idololatrica, liberi arbitrij persuasio
vestra, operis operati figmentum, meri-
tum ex congruo, & meritum ex condi-
gno, fiducia operum, & satisfactionum,
veneratio & cultus imaginum, siue ido-
lorum & reliquiarum: inuocatio sancto-
rum mortuorum & Martyrum, votiuæ
peregrinationes, Papales indulgentiæ, fi-
ctum & ludibriosum ieunium vestrum,
certorum ciborum certo tempore prohi-
bitione, & abstinentia determinatum,
impurus item coelibatus, & coacta Virgi-
nitas, diuersorum ordinum, & regularum
professiones: facta fictitij purgatorij fabu-
la, sacrificia pro mortuis, & satisfactio-
nes, & quis omnia enumeret, quæ cum
ipso claro Dei verbo, cum patefacta Dei
voluntate, & cum Euangeliō Christi, ac
doctrina Apostolica pugnant ex dia-
metro? Aut ostendite vos sacrificuli, vbinam
in sacris libris ista locum habeant, aut qui
bus illarum testimoniis tandem confir-
mentur.

2. Quod autem de sacra Scriptura,
falsis interpretationibus & glossis à nobis
corrupta, adulterata, & truncata scribis,
nisi id testatum feceris ex ipsa Scriptura,
scito, nos te pro homine vano, & mēdaci

58 C H R I S T . A D P O R T U M
habituros, ac tali omnino, qui in diabolica sua superbia & ambitione, nulla realia quām sua mētiendi, calumniandi que audacia, populi verò supina inscitia & ignorantia nitatur: quam tu ac tui similes unicè etiam studetis fouere. Quām pulchre enim hæc probare posses, si tibi singula ex ordine essent demonstranda, iam supra patuit ex parte, & adhuc patebit in sequentibus. En Verro, longum ac perplexum mendacium tuum, quām breui ac simplici inficiatione possit dilui. Confer autem doctrinam vestram de Iustificatione, & omnibus eius causis, de fide & bonis operibus, & aliis articulis fidei, cum pulcherrimi Augustini disputacionibus & aliorum sanctorum Patrum scriptis: & iudica ac vide, vtrum in nos, verò in vos impuros sacrificulos potius, impudentia ista recidat, cuius ad finem istius tuæ calumniæ tam falso quām impudenter nos arguis.

Q V A E S T . 13.

Propositio tua est. Ex Scriptura sacra non esse disputandum de rebus & articulis controversis.

Probatio eius ab effectu: Quia dum ex

Scripturâ

CONTRA VERRONEM. 59

Scriptura agitur, ad nullum litigandi finem
Perueniri, aut nulla controuersia decidi po-
test, hoc est, Scripturâ magis incenduntur,
quàm tolluntur contentionum certamina.

E' *πειρατησεύν*: Experientia ipsa iam hoc
sepe docuit.

Sic igitur argumentaris.

Quicquid ad componendas controuersias
nihil conductit, nec tam finiendis, quàm in-
flammundis certaminibus contentionum est
accommodatum, ex eo cùm fundamentali
principio non est disputandum.

Scriptura, id est Verbum Dei scriptum,
decidendis, ac finiendis controuersiis minimè
seruit, neque ex eo illa componi possunt. Ergo
ex Dei verbo, quod est Scriptura, de articulis
controuersis non est disputandum.

Minoris siue assumptionis *καταστρεύν*
est: quod ipsa experientia hoc testetur.
Hinc velut triumphans, & quasi parta vi-
ctoria, addis criminationem, te & socio
tuo dignam, idque etiam interrogatiuè
veluti ex nostra persona, quasi res in con-
fesso sit: Nónne ita est, inquis, quòd homi-
nes soletis cum tali ostentatione ludificari
(nempe dum Scripturas subinde præten-
dimus) ut res eò præclarius à nobis gesta vi-
deatur?

60 CHRIST. AD PORTVM
Vide quantum honoris tibi deferam
dum tibi cauillationes tuas ita in ordinem
digero.

Est autem, ut dixi, argumentum, ut ti-
bi a ceteris consortibus videtur, ab effectu
proprio deductum.

RESPONSIo:

AT qui scire debes, mi Verro, effectū
hūc, quem tu blasphemō ore Scri-
pturæ S. assignas, tuæ tuorūmque similiū
superbiæ, arrogatiæque ac stuporis pro-
prium esse, non Scripturæ. Quia vobis
non est datum, ut agnoscere velitis vo-
cem pastoris nostri Christi, & ut in Ver-
bo eius possitis acquiescere. De Scriptura
verò, mi homo, etiam errorum nebulis,
ex ea discutiendis, adeoque de contro-
uersiis etiam finiendis, & tollendis dubi-
cationibus, multò aliter Dominus ac Ser-
uator loquitur, quām vos vñcti & idolo-
vestro consecrati sacrificuli. Erratis, in-
quit ipse ad Sadducæos, resurrectionem
mortuorum inficiantes: & quare errant,
continuò ostendit, quum addit: Nescien-
tes Scripturas, neque potentiam Dei:
Matt.22.29. Ioannis autem 5.39. Nonne
ad Scripturas Iudæos ablegat, & quod
eas

CONTRA VERRONEM. 61
eas scrutarentur, laudat ac probat? Scrutamini Scripturas, inquit, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternā habere: etiam illæ sunt quæ testātur de me. Hinc Luc.16.29. diuiti epuloni dicitur: Habent Mosen & Prophetas, audiant eos. Tu vero è contrario clamare & scribere non erubescis, istos vna cum sanctis Apostolis ad nullas controvēsias dirimendas, & ad disputationes nullas diiudicandas adhibendos siue admittendos esse: Quippe cum nolis ex ipsorum scriptis disputationum argumenta peti: quia non terminandis sed producendis litibus & contentionibus seruiant. Nempe, quia vos sacrificuli non didicistis Verbo Dei obediere, ideo illud vobis nullas finit controvēsias. Itaque rursus mera fallacia accidentis est, tibi in hoc argumento usitatissima. Et argumentum potius in hunc modum formandum est.

Quicquid auger & incendit controvēsias, & nullum sinit disputationibus, id est, concertationibus & rixis finem imponi, id ad eas nequaquam admittendum, siue adhibendum est, sed longe inde debet summonueri. At sacrificiorum, & similiū Sophistarum stupor, &

arrogantia, & cupiditas, cum omni impietate coniuncta, non sinunt ullum ullis controuersiis ac disputationibus ex Verbo Dei finem imponi: dum, non patiuntur eos in hoc aequiescere: adeoque nouas subinde lites cident. Probatio. Quia ipsa experientia abunde hoc docuit ha-
& tenus, & adhuc docet. Ergo non Scriptura, quæ Verbum Dei est, sapienter erudiens parvulos, scilicet vestra arrogatia, & stupor, & cupiditas, à seriis disputationibus debent summoueri, ut Verbo Dei locus sit. Scriptura enim S. ipsum viuum & æternum manes Dei Verbum, & Sermo Veritatis, denique norma ac regula fidei ac veræ pietatis est, ut & mingant & crepent, atque etiam rupantur omnes sacrificuli. Quod igitur de nostra ostentatione nos interrogas, scire te velim, mi Vero, nos non ad ostentationis ludibriū Scripturas iactare, scilicet te, & tui similes eas supprimere conari, & adducere in contemptum. Cuius tui sceleris nos tibi socios habere cuperes, & ad stipulatores.

Q U E S T . 14.

Hic valido ariete nos abs te prosterni existimas: & arguto admodum dilemmato

Iemmate constrictos teneri.

Si unicuique (quod tu barbarè vtrique dicis) Verbum Dei & Euangeliū clamosè prætendenti, statim credendum est.

Ergo nos Anabaptistis credere oportebat, & Anabaptistas nobis. Probatio huius posterioris consequentis, à natura relatiui: *Quum sint nostri discipuli, hoc est, quum è nobis exorti, & à nobis veluti plantati sint.*

Hæc enim nōnne tua sentētia est Vero? *Sin minus unicuique credendum est, utcunq; Verbum Dei & Euangeliū in ore habeat ac prætendat:*

Ergo nos Scripturis nihil efficiemus, sine Ecclesiæ (Romanae) consensu & approbatione.

RESPONSI O.

Ex meris paralogismis ac deceptionibus hæc dōcta contexta sunt. Supra Scri
pturā sese
& Papam
sum, &
sua Con-
ciliabula
collocat
hic Sacri-
tex,

Prioris partis antecedens quod attinet, nos iamdudum, mi Vero, ex ipso Apostolo ac discipulo Christi didicimus, non cuiuis spiritui credendum esse: Sed probandos esse spiritus, an ex Deo sint. I. Iohann. 4.1. Deinde etiam regulam dignoscēdorum spirituum, ab ipso ibidem traditam, tenemus. Ex hoc cognoscite Dei spiritum, inquit, Quicunque Spiri-

64 C H R I S T . A D P O R T V M
tus cōfitetur Iesum Christum in carnem
venisse(hoc est, tam de persona, & vera
incarnatione, quām de officio eius rectē
sentit ac docet) ex Deo est. At quicun-
que spiritus non confitetur Iesum Chri-
stum in carnem venisse(hoc est, tam in-
carnationis eius veritatē inficiatur, quām
Officium eius extenuat, ac vilipendit) ex
Deo non est: sed hic est ille(spiritus) An-
tichristi, de quo audistis eum venturum
fuisse, & iam nunc in Mundo esse. Ex qui-
bus iam facile intelligis, quid in utroque
tuo antecedente negemus, aut conceda-
mus tibi. Nempe, non cuiuis spiritui teme-
rē ac falso Scripturas citanti, ac præten-
denti, credendū esse: sed ei dūtaxat, qui fi-
deliter ac rectē eas citauerit. Quod quan-
do fiat, ex diligentī Scripturæ S. collatio-
ne, .& ex vera, perpetua illa articulorum
fidei congruentia, & harmonia, quæ in
tota Scriptura cernitur, potest intelligi.
Cæterū quid hinc iam verissimē con-
sequatur concludatürque, id tu protua fa-
pientia, aut noluisti, aut non potuisti ani-
maduertere. Nempe, neque vobis, ne-
que Anabaptistis credendum esse: quum
neutri fideliter citetis, ac prætēdatis Scri-
pturas. Quid enim? Scripturas S. vultis
sab

C O N T R A V E R R O N E M . 65

sub pedibus habere: Et tamen iisdē Scripturis autoritatem vestram, hoc est, tyrannidem stabilire vultis ac confirmare. Subinde citatis : Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Math. 16. Hoc perinde vobis sonat, ac si dixisset Dominus: Tu es Petrus, & super Romanum Papam, qui mox veniet, & in templo Dei sese collocabit, ædificabo Ecclesiam meam. Item, quod addit Dominus : Et quicquid ligaueris erit ligatum, &c. Hoc perinde vobis est, ac si dixisset: Quicquid Romana ista bestia pro sua libidine & cupiditate decernet, id utrobique tam in cœlo quam apud infernos, aut etiam in his terris, ratum erit. At cur vobis non credendum sit, ratio est: quia Petrus Christum confessus est, Filium Dei viuentis, adeoque verum & unicum Redemptorem ac Mediatorem esse, & lapidem illum viuum, super quem ædificata ac fundata est Ecclesia. Vos autem negatis Christum: non verbis quidem, quæ usque ad summam etiam ostentationem & hypocrisim non desunt vobis, sed re ipsa & facto. Nempe dum gloriam ipsius ei sufforantes, partim idolum vestrum ipsius loco adoratis: partim

e. j.

verò diabolicis vestris figmentis ea tribuitis, & assignatis, quæ non nisi prætioso Christi sanguine nobis potuerūt comparari: officium, mortem, & intercessiōnem eius encruantes, & præ vestris ludibriis ea habentes pro nihilo. Et in huius idolomania vestræ confirmationem torquetis etiam Scripturas cæteras: quas verò torquere non potestis, contemnitis. Similiter etiam Anabaptistæ, partim mutilant Scripturas, dum Mosen ac Prophetas reiiciunt: partim certos duntaxat locos arripiunt, & ad suum detorquent sensum. Ut rectè statuant fideles, neque his, neque vobis credendum esse: & potius vestri, quam nostri discipuli, illi debent videri. Siquidem Scripturæ sacræ contemptum à nemine facilius, quam à vobis potuerunt addiscere: ut etiam ad hanc calumniam tibi sit responsum.

Quod igitur de Ecclesiæ tuæ Romane consensu & approbatione infers, merum sophisma, & manifesta fallacia consequens est. Non cuius scripturas iæstanti, credendum est: Ergo Romano Pontifici & sacrificulis ipsius ac Monachis, qui sese supra Scripturas (id est Verbum Dei) collocant, easque partim adulterant

CONTRA VERRONE M. 67
terant, suis sophismatibus & commentis,
partim verò aspernatūr, & contemnūt,
credendum est, & vnicè auscultandum.
Ego verò dico ob hanc ipsam causam,
quia sese supra Scripturas collocant, &
ad stabilendam suam superbiam falso ci-
tant ac prætendunt Scripturas, eis neque
credendum, neque auscultādum esse. Et
hanc aio veram & naturalem esse con-
sequentiam, quam te ex posito tuo prin-
cipio oportebat inferre. Papam verò ve-
strum, cum tonso clero suo veram Chri-
sti esse Ecclesiam ex idolomania vestra
nondum testatum fecisti: Ex Scriptura
enim certè id probare nunquam poteris.

QVÆST. 15.

Hic casum ponis, ex communi expe-
rientia, & vsu. Deinde adhibita ac-
curatissima distributione, nos violenter,
nimittum in tuas partes pertrahis. Casus
est. Posse inter duos aut plures cōtrouersiam
incidere, de loci alicuius recto sensu & inter-
pretatione: sicuti id sēpe accidit. Quaritur
igitur: Quis nam decidenda controuersia in-
dex & arbiter sit adhibendus. Respondes
tu, adhibita distinctione trimembri, in
hunc modum: Aut enim homo aliquis in-

e. ij.

68 CHRIST. AD PORTVM
ter partes iudicabit: aut Scriptura, aut Conci-
ciliū. Postea per διδωξίαν, grauissimis
rationibus priora duo membra destruis
ac tollis, ut tibi videtur, ut eādem grati-
tate statuas tertium. Obserua autem di-
ligenter, mi Vero, quod Scripturam à
Concilio separas, aliter enim non tribus
membris constaret tibi, aut absoluere tur
partitio tua.

Sic igitur argumentaris.

Si homo aliquis index & arbiter esse de-
beat: Errare is potest. Probatio cōsequentis:
Quia nos id dicimus. Quasi dicas, apud vos
esse homines, qui errare nō possint. Vn-
de ex nostra tantum confessione colligis
omnium hominum iudicium esse exclu-
dendum.

Secundò: Si scriptura adhibenda sit in
iudicium, res perinde incerta ac dubia ma-
net, inquis, ac antea fuit.

Kατεστέν huius consequētis, ab inter-
pretum inter se dissidentium discordia,
& inde consequente incommodo ducta.
Nempe quod alijs aliter semper velint Scri-
pturam interpretari. Vnde consequatur, ut
lites ex litibus serantur, error vero ipse in
quo hæretur, in dies fiat deterior.

Eπιμαρτυρίū huius probationis ab e-
xemplis

CONTRA VERRONEM. 69

Exemplo: Sicuti in iis Scriptura locis vide-
re est, inquis, qui de iustificatione homini
citantur, quos apud vos (ita enim loqueris)
quisque suo peculiari modo, & alius subinde
aliter intelligere, & ex aliis Scripturis ex-
plicare vult.

Hinc tertio loco ceu necessarium, &
indubitatum consequens infers, & con-
cludis: *Nos igitur confiteri oportere, verum
actutum sensum locorum istiusmodi pugna-
tum aliter non posse, quam per Concilium a-
liquod declarari: Tridentinum nimirum
intelli gis aut huic aliquod simile.*

RESPONSI O.

Ego credo montes crepuisse, quum
hæc oracula ederes, & tantum sapi-
entia tua nobis aperires thesaurū. Parti-
tio tua qua triplex iudicum genus nobis
constituis, perinde est ac si dicas: Incidē-
te controversia de resto sensu loci ali-
cuius in Scriptura, tum aut homo aliquis
iudex & arbiter constituendus est: aut
Scriptura ipsa erit consulenda, aut pro-
uocandum ac deueniendum erit ad con-
cilium. Sed illorum duorum neutrū po-
test fieri, ob causas nimirum sapiēter abs-
te expositas & explicatas. Ergo ad Con-

c. iii.

70 CHRIST. AD PORTVM.
ciliū erit prouocandum. Hoc est ad as-
similis, aut similes aliquas bestias, quæ ne-
que in humani generis complexu conti-
neantur, neque Scripturæ S. ullam ratio-
nem aut intelligentiam habeant. Hu-
manum enim omne genus primo distri-
butionis tuæ mēbro, ni fallor, exclusisti.
Scripturam autem S. altero membro re-
iecessisti. Itaque tertium locum sub nescio
cuius Concilij nomine, bestiis aut asinis
tribuis, qui neque homines sint, neque
Scripturam morentur: Et tamen in tali
causa iudices esse debeant & arbitri. At
ego tibi nego consequentiam. Quia asini
nihil sciunt, quam Scripturam pedibus
calcare: Quod & vos facitis Domine Ver-
ro. Ergo vos estis Asinus, ut saluo vestrō
honore dicam.

Quod ad rem totam attinet, ea sic se
habet: Sacrae Scripturæ interpretationem,
non priuato, siue vnius, siue plurium ho-
minum iudicio competere, aut commit-
tendā esse, vltro tibi damus. Ut tu id recte
nóstro ipsorū testimonio & cōfessione cō-
probes ac cōfirmes. Iá enī antea ex D. Pe-
tro didicimus, nullā Prophetiā Scripturæ
idias θηλύστεως, id est, propriæ explicatio-
nis siue interpretationis esse. Quicquid e-
st
nim

C O N T R A V E R R O N E M . 71

nim homo in rebus diuinis sapit extra Scripturam , aut quicquid ex temerario ac proprio præiudicio ad Scripturā adfert , eique admiscet , id nihil aliud est , aut esse potest , quām error ac tenebre: quum homo non sapiat per se , ea quę Dei sunt : sed ea duntaxat quæ sunt carnis . Itaque non modo errare posse , sed & errare necesse esse dicimus eum , qui extra Scripturam de Scriptura , & eius consensu , ex se ipso iudicare velit .

Cæterum quum hoc ita sit , & tu ipse huius rei nobis testis sis , quid igitur est , quod priuatam Scripturæ interpretandę licentiā subinde obiectas nobis , & quasi eam , vel ipsi nobis usurpemus , vel eandē concedamus aliis , nobis exprobras ? An non oportebat mentientē esse memorē ?

Quod autem secundo loco dicis , immo blasphemō ore blateras de rebus dubiis & controversiis Scripturam S. non consulēdam esse , neque ad locos obscuriores , de quorum sensu dubitetur , explicandos adhibendam , id tum probabis , ac persuadebis nobis si planum ac testatum feceris , hoc quod dicis , ipsi S. Scripturæ , id est , ipsi claro Dei verbo , quod tu reiicis consentaneum esse : Et ubi ostendis

c. iiij.

deris ipsum Spiritum sanctum sese non
abundè explicare in Scriptura, & sui ipsi⁹
esse interpretem. Proh pudor ac nefas!
hanc vocem etiam à Parocho, & Eccle-
siæ antistite audiri S. Scripturam non cō-
sulendam & scrutandam esse in rebus
dubiis & controuersis. Quid igitur est,
quod Spiritus S. per Prophetā clamat: Si
dixerint ad vos: Sciscitamini Pythones &
diuinos, &c. Nūquid non populus cōsulit
Deum suum? num pro vivis ad mortuos?

Zef. 8.

Hebreu
enim cō-
textum
vide.

מִתְהָ

Ad legem & ad testimonium: Quod
si non dixerint iuxta verbum hoc, non
est in eo (matutina) lux? En ad legem, id
est, ad ipsum scriptum Dei verbum, & ad
testimonium, quod in lege continetur,
Spiritus sanctus nos ablegat, ut inde dis-
camus Dei ipsius erga nos volunta-
tem. Attu impie Sacrifex audes ipsam le-
gem ac totam Scripturam, quæ legis no-
mine censeretur, à lui ipsius explicatione
& ab interpretatione diuinæ voluntatis
prorsus excludere & amādare, ut ex qua
nihil certi ac solidi disci possit. Sed quam
impia ac prophana tua sentētia, tam va-
næ ac falsæ etiam sunt eiusdē probatio-
nes. Dicis, si Scriptura adhibeatur ad dis-
cutiendas obscuriores in ea sentētias, de-

qui-

quibus fortè ambigitur, rem & què incer-
tam ac dubiā manere, atque antea fuerit.
Cedò autem quo tandem argumēto pro-
bas hoc? Nempe vīstatā tibi accidētis fal-
aciā rursus adhibes, cāmq; rursus obiicis
nobis pro solida ac firma demōstratione.
Quia scilicet nonnulli Scripturam ipsam
in diuersum sensum trahant. (Nam om-
nes id facere, citra apertum mendacium
dicere non potes.) Vnde consequatur,
ut lites duntaxat ex litibus serantur, &
errores non tollātur, sed magis ingraues-
cant, & confirmētur. At mi Gerro, quæ-
stio non erat, quid homines quidam am-
bitiosi moliātur, & inquieti: Sed quantū
Scriptura ipsa lucis in se habeat, ad discu-
tiendas errorū nebulas, & ad nostros ani-
mos dubitatione liberandos, si qua fortè
incidat. Quid tū enim si cæcis nihil clarū
sit, aut lucidū? Nū propterea lux ipsa me-
ridiana lux esse definet? Ita si turbulentis
quibusdā ingenii nihil placet, & nihil sa-
tis facit quicquid vīquā habetur in Scri-
ptura, quid hoc ad æternam & immotam
Dei veritatē? Num propterea Dei ver-
bum erudire eos nō poterit, qui in eo re-
uerenter, ac piè, & modestè volunt ac-
quiescere? Confer igitur præclaras ac
pias scilicet tuas sententias, cum ipsa

74 C H R I S T . A D P O R T V M
Scripturæ S. veritate, ut quantum pietatis ac religionis in te sit, inde agnoscas. Psal. 19. 7. dicit Psalmista: Lex Domini perfecta (est) instaurans (sive conuertēs) animam: Testimonium lehouæ fidele, erudiens in sapientia paruulū: quod Vulgus significāter reddidit: sapientiā præstans paruulis.) Statuta Iehouæ recta exhilarantia cor:præceptum Domini purū, illuminans oculos. At tu Verto, impiè reclamare audes, Scripturam S. quæ Legis nomine intelligitur, non instaurare animas nostras, & nequaquam sapientiā nobis præstare, sed omnia dubia & incerta reddere: item non exhilarare corda nostra, sed ad lites & contentiones ea magis inflam mare: denique nequaquam oculos nostros illuminare, sed magis in errores nos inducere ac præcipitare. David clamat ac testatur coram Domino: Lucerna pedi meo verbum tuum, & lux semitis meis. Psal. 119. 105. At tu in conspectu Dei & angelorum reclamare non erubescis, id errorum tenebris nos magis inuoluere & implicare. Item, Psal. 73: testatur Psalmista, se graui dubitatione de Dei prouidentia iactatum ac perculsum fuisse, ex secūdo ac prospero impiorum

CONTRA VERRONEM. 75
rum successu: neque ex ea se se euoluere &
expedire potuisse, donec in Sacra Dei
ingressus: ibidem (ex eius videlicet ver-
bo) didicerit mirabilia ipsius iudicia. At
tu impio ore & audacter pronuntias,
Scripturam S. nulla dubitatione, nulló-
que errore nos liberare posse. En tuā er-
ga S. Scripturam, id est, erga sacrosan-
ctum Dei verbum, reuerētiam. Hoc sci-
licet est humiliter, ac reuerenter contre-
miserat ad Verbum Domini. Ies. 66.

Vt tamen non nihil dicere videaris, &
foco aliquo tegas, aut declines blasphem-
iae crimen, addis adhuc exempli causa
~~διόδειξην~~, id est, demonstrationem eius
quod dixisti, & ~~δικαιοσύνην~~ à singula-
ri vno documento desumptam, vt tu exi-
stimas, quum dicis, id quod dixisti, ex iis
saltem locis conspicuum esse, qui de iu-
stificatione hominis à nobis citetur, quos
videlicet apud nos alij aliter sēper inter-
pretari velint, & ex aliorum locorum
Scripturæ collatione explicare.

Prius quod dicis, falsum est, & abs te
confitum: Alterum manifestam ~~απλο-~~
~~των~~ habet, sicuti audies: Primò enim fal-
sissimum est, ullam inter nos de vera ho-
minis iustificatione controuersiam aut

vllum dissidium esse: propter quod Scripturas S. de iustificatione nos erudientes in diuersos sensus trahamus: quum profus contrarium, ipsa nostrarum Ecclesiarum concordia, omnia nostrorum scripta & omnes nostræ confessiones testentur. Quid tum enim si quidam παρεισωνται & εποδιδοσυγλοι subinde irrepunt & sele insinuant ad turbandam Ecclesiæ pacem ac tranquillitatem? Num propterea nobis constare non potest vera in Christo concordia? Quod si malè aliqui de iustificatione sentiunt ac docent, quare eos non tibi potius, quam nobis accenses, & in tuo eos habes albo? Quam piè enim ac reuereter de iustificatione nostri per Christum sentiatis ac doceatis vos sacrificuli, ipsi nouistis: & monstrosa illa figuramentorum vestrorum nominis & abunde id testantur: præuisa opera ac fides: meritum ex congruo & condigno, opus operatum: opera non meritoria dūtaxat, sed & supererogationis satisfactiones, & indulgentiæ: Ignis purgatorius adhuc post hanc vitam, vbi nullus pœnitentiæ locus est, quæ omnia ad eneruādam gratiam iustificationis, ac destruendum meritum Christi, à vobis conficta & excogitata

tata fuerunt. Et ut hæc specie aliqua tueri possitis, qua vel versutia in torquenda Scriptura, vel impudentia in contemnenda putas vobis esse opus? Denique quomodo etiam fieri potest, ut in diuersos sensus à nostris distrahantur hi loci Scripturæ, si omnes in vnum & eundem finē citantur, nempe ad probandam gratutam in Christo iustificationem? Itaque nihil ad nos hæc calumnia, sed in ipsum suum authorem recidit.

Quod autem ἐξηγήσεως cauſa addis, nos ex aliis scripturis, locos illos, iustificationē hominis concernētes, interpretari solere: annon eo ipso ab omni criminе absoluis nos, tibi ipsi verò turpiter cōtradicis, te ipsum palam mendacij arguens? Nonne ipsi Spiritui sancto sui ipsius permittere interpretationem? Et neque addere aliquid ad Dei verbum, neque de eo quicquā detrahere? Hæc verò annon Orthodoxa demum & rectissima interpretandæ Script. ratio est, priuatæ expostionis ex diametro opposita, atque repugnans? Præfertim verò si nostram fidem & integritatem in conferenda Scriptura omnes boni ac pii, adde etiam docti & eruditi homines agnoscere possint ac

Vide Au-
gust. lib. 2
de doctr.
Christ. ca.
9. & 11. b.
& lib. 2. c.
28.

78 CHRIST. AD PORTVM
probare? Agnosce igitur *ανηλογίας* tuam;
Et vel tuo exemplo disce tantam vim
veritatis esse, ut confessionē sui, ab ipsis
etiam hostibus aliquando extorqueat, &
ad ferendum sibi testimoniu eos compel-
lat. Quoniā igitur criminationes tuae fal-
sæ deprehenduntur ac sunt, falsa etiam
assumptio tua sit necesse est, quā illis vo-
luisti confirmare. Nempe ad diuidan-
das controvērsias, Scripturam sacrā non
consulendam vel adhibendam esse: sed
ceu incertam & ambiguam repudian-
dam.

*Tituba-
bit fides,
si diuina-
rum scri-
pturarum
vacillat
autoritas
inquit,*
*Augusti-
nus lib. 2.
de Doctr.
Christ.
cap. 33.
Alibi au-
tē S. Scri-
pturz au-
toritatē,
authoritati
Concilio
rum ma-
nifeste an-
teponit.
Ut contra
Maximi.
lib. 3. cap.
14. & de
Bapt. cō-
tra Dona
tist. li. 2. c.
2. &c.*

Hæc quum ita se habeat, vide igitur
quām solidè tertio loco inferas: Necel-
se igitur esse nos fateri locorum istiusmo-
di pugnatiū, rectum ac genuinum sen-
sum, non aliter quām per Concilium a-
liquod determinari, siue declarari posse.
Quām verè enim hoc inferas, ex iis quā-
di dīcta sunt, intelligis: Sed tamen cuiusmo-
di sit, tecum est expendendum: si hoc v-
num præfatus fuero. Nempe, nos nullum
legitimum horrere aut detrectare Con-
cilium, in quo videlicet pīj ac docti ho-
mines & diuinæ veritatis amantes, sine
præiudiciis secundum Dei verbum in ge-
nuino suo sensu acceptum, id est, sciplo
exposi-

expositum & explicatum, liberè pronuntiant, adeoque ad ipsas Scripturas sacras omnia referant, & exigant: ipsi quoque iisdem tanquam Dei ipsius voci, per omnia sese submittentes. Neque enim bonorum virorum iudicium, quibus Veritas ac gloria Dei curæ est, exhorrescimus aut fugimus conspectum, modò Deo & Verbo eius primæ semper partes tribuantur. At tu quid Concilij nomine dentes, quis est qui non intelligat? Nempe impurissimorum idololatrarum, hoc est, Monachorum & Sacrificulorum, rabularumque contra Christi veritatem, & Ecclesiam conspirantium, æquè impurum conuenticulum, quorum Princeps & capitulum Romanum illud vestrum idolum sit. Atque horum autoritatem, ut Pauli taciturnum compleas, te non pudet supra ipsam Scripturam etiam, ac Dei verbum collocare. Vis enim eos de Scriptura, ac vero eius sensu statuere, ac pronuntiare: verum non ex Scriptura rectè exposita & intellecta: sed ex suo ipsorum sensu, iudicio & arbitratu, prout ipsis visum fuerit illam admittere vel improbare.

Hoc autem nunc dicito mihi Gerro, quid aliud est, quam priuatam quorundam

go C H R I S T . A D P O R T V M
dam interpretationem , vel potius pro-
phanationem Scripturæ nobis obtrude-
re velle , pro expositione eius Catholica
& Orthodoxa? Scire enim debes , si vel
centum millia Monachorum , Sacrifico-
rumque conspirēt inter se , ac de Scriptu-
ris quidem & earundem autoritate ac-
fensu , sed non ex Scripturis pronuntient;
aut pro illis placita sua nobis obtrudant;
tamen nihil id aliud , quam priuatā quo-
rundam interpretationem , & superbū
ac temerarium præiudicium fore , eo vel
solo nomine nobis repudiandum. An e-
nim impura illa colluuius , quæ sese Ro-
mano apostatae addixit in obsequium ,
Dei verbo præscriberet , eiisque præiudi-
caret veritati? Aut si hoc facere non eru-
bescat , nū tu coges nos in impiis eius pla-
citis ac decretis , omissis Scripturis sacris
acquiescere? Dei autē verbū id est , Scri-
pturas , præ vestris ludibriis habere pro
nihilo? Define igitur ~~λατερα~~ vestra con-
ciliabula , pro ipsis sanctis & Orthodoxis ,
& Oecumenicis conciliis nobis vendita-
re : & rasam veitram colluuiem iactare ,
pro ipsa Christi Ecclesia: denique quæuis
vestra placita ac decreta pro ipsis Scri-
pturis sacris nobis obtrudere , hoc est , pro
ipso

C O N T R A V E R R O N E M . 82

ipso claro Dei verbo, & vera eius expositione. En Verro, quam arguta partitio ne constringas nos: & quam potenter in tuas partes nos pertrahas: denique ad quam tadem confessionem tuis argutiis nos perellas.

Q V A E S T . 16.

Nulla alia causa est, cur per Scripturam tam multæ contentiones excitentur, tam multæ hæreses, siue sectæ exoriantur, & tam multæ animæ pereant: quam quod probatus salutiferi verbi Dei sensus, quem Ecclesia à Spiritu sancto habet, contemnitur: illud autem secundum rationem humanam non modo prædicatur.

R E S P O N S I O .

P Aralogismis exstruxisti Papatū ver strum, & iisdem cum vultis tueri. Ad eleuandam Scripturæ sacræ autoritatēm, tria sophistice illi affingis.

1. Quod rixæ & contentiones ea excitentur, hoc est, quod rixandi ac condendi materiam præbeat, non eo modo ac sensu intellecta, velexplicata, quem Romana vestra Ecclesia à Spiritu sancto habeat. Hoc enim prætextu, veluti larua,

f. j.

putas te nobis posse imponere, sicuti tuis
imponis.

2. Quod seatas gi-
gnat ac hæreses.

3. Quod multis cau-
fa exitij sit, & interitus. Eadcm de causa

In quibus omnibus turpissima rursus
accidentis fallacia est, cum petitione prin-
cipij tui coniuncta, tam manifesta omni-
bus, quam vobis visitata ac peculiaris. Nec
tamē utraq; hæc tibi sufficere potuit, nisi
accumulares etiam tertiam, non causam,
ut causam, id est, falsam causam pro vera
ponendo. Quod enim ad primum il-
lud attinet, multi sunt, fateor, qui conten-
tiones & rixas excitant, iisque magna
cum audacia prætendunt Scripturas, at-
que adeo ex Scripturis etiam arripiunt,
rixandi tum materiā, tum occasiōnē. Sed
nondū probasti, Vero, script. ipsius vitio,
& nō potius ambitiosorū, & cōtentiosorū
hominū culpa, id est malitia & impo-
bitate id fieri: ut tam facile inde conclu-
dere possis, quam te id posse existimas:
Scripturam aut vestro arbitratu explican-
dam, aut prorsus negligendam & abdi-
candam esse. Quid enim? An non etiam
Paulus queritur, multos dissidiorum &

scan-

C O N T R A V E R R O N E M . 83

scandalorum authores esse, quos à fidelibus obseruari vult? Sed num eius rei causam siue culpam in ipsam Scripturam rei cit, quam huiusmodi impostores solebat prætendere? Ac non potius eos dicit preter siue cōtra doctrinam id facere, quam fideles didicerint, quæ quidem tota Scriptis Propheticis & apostolicis comprehēnditur? adeoque non à Scriptura accedita, quā illa continet, sed ab ipsis impostoribus eos iubet declinare? Rom. 16. 17.
Hinc est quod Augustinus dicit: Sacra menta si eadē sunt, vbiq; integra sunt, et si prauē intelliguntur & discordiose tractantur: sicuti Scriptura ipsius Evangelij, si eadem ipsa est, vbiique integra est, et si innumerabili falsarum opinionum varietate afferatur. De Baptismo contrā Donatistas lib. 3. cap. 15. Quid igitur Scripturæ sacræ detraliunt ambitiosa & contentiosa ingenia? Aut quid puro Dei verbo cum hominum prauitate, quam ad ilud ipsi afferunt, non autem hauriunt ex illo?

Eadem etiam reliquorum duorum, quæ at texis solutio est. Quod enim secundo loco addis, hæreses inde nasci, nempe, quia Scriptura non vestro arbitz

tratu intelligatur, rursus Scripturæ sub
hoc prætextu tribuis, quod non nisi ex
diabolo, & impiorum hominum malitia,
& prauitate proficiscitur. Paulus dicit,
oportere etiam hæreses inter fideles esse.
1. Cor. 11. 19. Verum non dicit, Scripturæ
ipsius vitio id fieri: sed eorum prauitati
hoc relinquit, quos innuit non probatos
esse. Loge igitur aliter Augustinus, quam
tu, de hac re loquitur ac sentit: Nempe
lib. 1. de Trinit. ca. 3. ubi cum quorundam
errorem de scriptis suis male iudicatum,
sibi dicit non tribuendum esse, addit ve-
luti causam his verbis: Quandoquidem
nec ipsis sanctorum librorum authorita-
tibus ullo modo quisquam rectè tribue-
rit, tam multos & varios errores hæreti-
corum, quum omnes ex iisdem Scriptu-
ris, fallaces atque falsas opiniones suas co-
nentur defendere. De Genesi vero con-
tra Manichæos lib. 2. ca. 8. dicit. Matrem

Et contra Epi. Fud. cap. 6. omnium hæreticorum superbiam esse.
At tu superbè, & contumeliosè Scripturæ
id imputas, quod multi sunt hæretici.
Idem de hæres. ad quod vult Deum, di-
cit, quid faciat hæreticum, regulari qua-
dam definitione comprehendi non pos-
se, aut difficillimè posse. At tu promptè
definis,

CONTRA VERRONEM. 85
definis, qui Scripturam non intelligat, si-
cuti tu eam intelligendam dicis, eum esse
hæreticum.

Atque hinc etiam tertium dicis pro-
mânare, nempe ut tam multorum animæ
pereant. Adde ad explendam senten-
tiam: quot perdendi potestatem Roma-
nus vester habet Pontifex: cuitamen ne-
mo possit dicere, cur hoc facis? Sed hic
seposito paulisper tuo prætextu dic mihi:
si Scripturæ ipsi imputandum est, quod
multi pereunt, propterea quod illâ ad
suam perniciem iidem multi abutuntur:
annon codem nomine reliqua etiam om-
nia præstantissima Dei dona damnari pos-
sint. Quid enim donorum usquam à
Deo habemus, quod non in perniciem
plurimorum conuertat pudenda homi-
num ingratitudo, & ipse illorum abusus?
Ut igitur de Scriptura ex Scriptura tibi
respondeam, num Paulinis Epistolis, si-
cū & reliquis Scripturis ullo modo im-
putandum D. Petrus dicit, quod multi ad
suum ipsorum exitium eas detorquēt, ac
non potius ipsorum inscitiae hoc tribuit
ac peruersitati? 2. Petr. 3.16. Dic etiam an
Euangelium Christi, quia odor mortis ad
mortem est, iis qui pereunt, propterea

Vide in
Décret.
Grat. dist.
49. c. Si
Papa.

non sit odor vita ad vitam, iis qui seruantur.
2. Cor. 2. 15
16. & 4. 3.
 Et quia illis qui pereunt
4. Cor. 1.
23. 24. Rō.
7. 15.
 tectū est: propterea sua luce, ac suo splen-
 dore non irradiet ac illuminet electos?
 Denique quia Iudæis offendiculum est,
 Græcis verò stultitia, num propterea non
 sit Dei sapientia, & Dei potentia, nempe
 ad salutem omni credenti? Quo igitur
 argumēto tu probabis, Scripturę lectio-
 ne, auditione, meditationeque homini-
 bus interdicendum esse, quia multi ex ea
 perditionis suę occasionem arripiunt?
 Nunquam certè illud concludes, nisi hoc
 ostenderis, Scripturæ ipsius vitio, & cul-
 pa id fieri, & non potius per accidens,
 nempe, hominum ipsorum peruersitate
 præter & contra Scripturam.

Sed nunc bellam tuam probationem,
 & æquè egregiam eiusdem confirmatio-
 nem videamus: quia & causam falsissimam
 pro vera ponis, & ad eam fucandam, bis
 tuum repetis principium, quo & tibi, ac
 tuis soles illudere. Tria illa maxima mala
 ex eo euenire dicis, quia probatus Scri-
 pturæ, id est, salutiferi Dei verbi sensus
 contemnitur, & secundum humanam ra-
 tionem, ac novo modo illud prædicatur.
 Quis autem sit probatus ille sensus digito
 monstras?

mōstras, quum eum esse dicis, quem ipsa (Romana videlicet) habeat Ecclesia: & ut hoc ita esse videatur, addis eam à Spiritu sancto illum habere. Sic igitur argumentaris.

Quia Scriptura sacra non secundūm genuinū suū sensū rectē intelligitur, sed nouo modo prædicatur, secundūm humanæ rationis intellectum: ideo tam multas contentiones parit, & hæreses gignit, & tam multi homines pereunt. Sed quando non intelligitur Scriptura in probato illo sensu, quem Romana Ecclesia habet, tum nequaquam rectē, sed nouo modo intelligitur & prædicatur, nempe secundum humanæ rationis intellectum: Et hoc ipsum fit ab Euangelicis.

Ergo quia non Romanæ Ecclesiæ more intelligitur ab ipsis, ideo mala illa eu-niunt: neque vlla alia illorum causa est.

Probatio minoris est. Quia quum Romana Ecclesia, vera Ecclesia Catholica sit, genuinum ac probatum Scripturæ sensum habet à Spiritu sancto.

Respondeo tibi ad maiorem: Veram illam esse, si incommoda & mala illa, quæ commemoras non Scripturæ ipsi per se, sed detortæ, coactæ, ac falsæ eius exposi-

De Gene-
si ad Lit.
lib.7.c.9. tioni tribuas. Hæc enim patrocinatur ac seruit hæreticis, à quibus etiam proficiuntur: non Scriptura. Sicuti id etiam testatur Augustinus, quodam in loco, quum ait. Neque enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas fallas opiniones contra earum veritatem perniciriter asserunt.

Quod autem Minorem, id est Assumptionem tuam, & eiusdem probationem concernit: Tum concedemus tibi, vos Spiritum sanctum & ab eo genuinum, ac probatum salutiferi verbi Dei sensum habete, si planum ac testatum feceris, ex eodem salutifero Dei verbo, Romanensem vestram factionem, id est, Prælatorum, Monachorum, & Sacrificorū illam colluuiem, veram Christi Ecclesiam esse, quæ salutifero eius verbo obtemperet, in eoque acquiescat: non autem ei præscribere ac dominari velit. Nam certè, vera Christi Ecclesia, quæ ex Spiritu eius genita est per verbum, illud ipsum verbum ipsius audit, eique reuerenter obtemperans, tota in eo acquiescit. Quia quicunque ex Deo est, is audit verbum Dei.

Ioh.8.47

Ioh.8.47. Quum autem vos omnia faciatis contraria, & vos ipsos efferatis supra Scripturas, quæ salutiferum illud Dei verbum sunt, qua fronte quæso, nihilominus tamen Spiritum sanctum audetis iactare, & probatum Scripturæ sensum vobis vendicare: denique vos ipsos venditare sub veræ Ecclesiæ Dei titulo? Annon enim Vero, hic unus probatissimus vobis Scripturæ sensus est: eam vestro oportere arbitrio subiacere, ut eam admittatis, aut non admittatis, quoad vobis fuerit visum? Annon vos ipsos, & conciliabula vestra, longè suprà Scripturam extollitis? Denique traditiones & figmenta vestra annon præferre audetis verbo Dei salutifero? Itaque quem spiritum habeatis, ex hoc vel solo, quod iam dictum est, potest intellegi: nēpe Spiritum illum superbiæ, quem Augustinus testatur hæresēn, & hæreticorum omnium authorem & parentem esse.

En Vero, cuius nouitatis tu accuses nos, & quam iusta & grauis tua querela sit: dissidia ac contentiones excitari, hæreses nasci, & multas animas perire, quia nos nolumus Scripturam S. ex vestro cœbro, id est præscripto ac sensu interpre-

90 CHRIST AD PORTVM
tari. Quasi verò non insignis & maxima,
ac noua hæresis sit, priscis illis seculis in-
audita, Scripturam S. pro nihilo habere:
sicuti vos facitis. Deinde quām vera ve-
stra gloriatio sit: vos Spiritum Dei san-
ctum, & ex eius instinctu ac reuelatione,
probatum Scripturæ ac verbi Dei saluti-
feri sensum siue intellectū habere. Quum
qualem intellectum habeatis Scripturæ,
& quām fideliter cum vera Christi Ec-
clēsia custodiatis ipsius Verbum, facile li-
quere omnibus possit, si quis vniuersam
doctrinam & cultum vestrum, id est, infi-
nitatem vestras abominationes, cum quibus
Spiritus Dei nihil commune habet, cum
illo conferat.

QVÆST. 17.

Quid doctrinam suam, ad Euangelij nor-
mam non exigunt, sed potius è contra-
rio, Euangelium ipsum suo præiudicio, arbi-
trioque volunt subiectum esse: illi abūde te-
stantur, nonum illud Euangelium, quod præ-
dicant Scripturæ minimè consentaneum esse.

Lutherus autem illud fecit: hoc est, doctri-
nam suam non Euangeliō, sed Euangeliō
suopräiudicio & arbitrio voluit subiectum
esse:

Ergo

C O N T R A V E R R O N E M . 91

Ergo nouum istud Euangelium, quod Lutherus prædicauit, & adhuc sectatores ipsius prædicant, Scripturæ minime consentaneum est.

Profsyllogismus minoris, id est, assumptionis probatio est. *Quia Luthero bona opera non accepta sunt: ideoque S. Apostolis, qui de illis scripserunt, tumultuose aduersatur.*

Epifsyllogismus, siue διπλασιονή huius probationis à duplice testimonio.
1. *Quia intrepide ac liberè scribit D. Iacobi Epistola nihil esse tribuendum: hoc est, non habendam pro Canonica.* 2. *Quia inter quatuor Evangelistas unum duntaxat, nem pe Ioannem, dicit spiritualem scriptorem esse.* Ratio: *Quod reliqui tres bonis operibus nimium tribuant: hoc est, nimis illa extollant.* Hic enim verborum tuorum sensus, & hæc argumenti tui ἀράλυσις est.

R E S P O N S I O .

T Vo te gladio nobis iuāguldum præbes. Totum enim argumentum in vos ipsos verissimè competit: adeoque multò euidentiore assumptionis demonstratione in vos retorqueri potest, quam

92 CHRIST. AD PORTVM
tu tuam probaueris. Quām libēter enim
hanc maiorem tibi damus?

Quicunque doctrinam suam ad Euangeliū normam nolunt exigi, sed Euangeliū potius (i. Euangelicam scripturam) suo ipsorum præiudicio arbitrio que volunt subiectum esse: iij abundē testantur, Euangelium quod prædicant, nouum, Scripturę verò S. minime consentaneum esse.

Iam verò, en etiā verissimā assumptionem tibi: Pontificij, Prælati, Sacrificuli, & Monachi, qui sese Ecclesię catholicę nomine iactitant, illud faciunt, hoc est, doctrinam suam non Euangeliō ac Scripturæ, sed Scripturam totā, adeoque ipsum Euangeliū suo præiudicio, arbitrioque & authoritati volūt esse subiectum. Aut nega hoc, si potes. Quid enim aliud contendisti tribus quæstionibus præcedentibus 14.15. & 16?

Ergo Euangeliū, quod vos sacrificuli prædicatis, nouum, Scripturæ verò sacræ minime consentaneum est.

En mi Vero, argutissimas tuas argumentias: quas fortasse non sperasti à nobis posse intelligi. En vt turpiter te des: qui tuo te laqueo induis, & vt forex, proprio te prodis

te prodis indicio. Sed tamen assumptio-
nis tuæ bellam probationem videamus.
Lutherum dicis bona opera improbare:
ut quæ ei non sint accepta. Cedò autem
quo argumento? Nempe quia Diui Ia-
cobi Epistolā reiicit: Et Iohannem Euau-
gelistam præfert tribus reliquis: quòd hi
bonis operibus nimium tribuāt: hoc est,
ut ego intelligo, nimis ea extollant.

Quòd ad Epistolam Iacobi attinet, an
tibi mirum videtur, cum ab initio, vestra
importunitate compulsum, de eius autho-
ritate non nihil dubitasse: quum non ig-
nores, etiam apud Veteres de ea dubi-
tatum fuisse. Et quum fuerit dubitatum,
quis tamen vñquam repertus est, qui in-
de concluderet, sanctis illis viris bona
opera displicuisse, minùsque probata
fuisse: aut eos propterea noluisse suam
doctrinā, & seipsoſ Euangelio, & S. Scri-
pturis subiicere: sicuti te hīc non puder-
audacter concludere? Vide si vacat tibi,
& si vis, Ecclesiast. hist. Eusebij, lib. 2. cap.
23. ad finem: & lib. 3. cap. 25.

De bonis operibus quid senserit ac do-
cuerit Lutherus, id clare & abundè ipsius
scripta, de hac re edita, testantur: Ut non
immerito aliquid saltem pudoris abs te

94 CHRIST. AD PORTVM
requiri possit. Sed exodus vobis est Lu-
therus, quia vestra mala opera in lucē
protraxit, taxauit, refutauit, vosque roti
mundo ex iis agnoscendos præbuit: po-
pulum verò à vestris superstitionibus re-
uocate studuit ad veram pietatem.

De Iohannis verò cum tribus reliquis
Euangelistis comparatione, quod Luthe-
ro tribuis, non est quod quisquam tibi
respondeat, quum locum non indices. Id
quod te, si sincerè & candidè ageres, vel
maximè facere oportuit. De Iohannis au-
tem inter Euangelistas eminentia, quid
Augustinus sentiat, ac scribat, si nescis,
vide lib. eius 1. de consensu Euangelist.
cap.4. Tres tamen isti Euangelistæ, in-
quit, (nempe Matth. Marc. & Luc.) in his
rebus maximè diuersati sunt, quas Chri-
stus per humanam carnem temporaliter
gessit. Porrò autem Iohannes ipsam ma-

Et quis
est, qui-
magis vr-
geat ope-
ra vera &
non simu-
late Cha-
ritatis,
quā Iohā-
nes? Sed
hoc iste
existimat
Lutherū
ignorasse.

ximè diuinitatem Domini, qua Patri est
æqualis, intendit, eamque præcipue suo
Euangelio, quantum inter homines suf-
ficere credidit, commendare curauit. Ita-
que longè à tribus istis superius fertur, ita
vt hos videoas quodammodo in terra cū
Christo homine conuersari: illum verò
transcedisse nebulam, qua tegitur omnis
terra

terra, & peruenisse ad liquidum cœlum,
&c. Lib. autem 2. cap. 6. dicit, Iohannem
Apostolum in Euangelistis quatuor emi-
nentissimum esse. Et cap. 45. dicit, Iohan-
nem multum à tribus Euangelistis eo di-
stare, quia magis in sermonibus, quos
Dominus habuit, immoretur, quam in
factis, quæ mirabiliter fecit. Et hæc quidē
Augustinus. A quo non putο Lutherum
dissentire: nisi id clare ostenderis.

Sed sperasti tu, si vni saltem Luthero
posset maculam aspergere, te continuò
vniuersam nostram doctrinam subuer-
surum. Quasi ab vno Luthero, aut quo-
quam alio, perinde pendeamus, atque
vos à tricipite vestro Pontifice. Et quasi
doctrina nostra, Lutheri duntaxat do-
ctrina sit: Et non potius Christi & Apo-
stolorum: in ipsis etiam Prophetarum
scriptis fundata. Ita enim ab vno Luthe-
ro, ad totam Euāgelicam doctrinam ar-
gumentaris: hoc est, à particulari ad vni-
uersale: vel potius à minima aliqua parti-
cula, ad ipsum totum, & ab accidente ali-
quo fortuito, ad ipsam veram, ac totam
rei substantiam. Quasi verò si vna aliqua
in re Lutherum posset reprehendere,
propterea necesse esset, totā religionem

96 CHRIST. AD PORTVM
ac fidem concidere. Sed audi, aliis adhuc
machinis ad hanc debellandam tibi erit
opus. Nempe ipsis Scripturis. Ex quibus
si demonstraueris nouum esse nostrum
Euangelium, en Verro, prorsus viceris.
Iamverò ceu confessum principium hoc
sumis, quod tibi tamen vel maximè erat
probandum. Itaque nihil aliud, quam ca-
lumniosum & impudentē Sophistam a-
gis. Noua tibi est veritas Euāgelica, quia
tu superstitionibus & mēdaciis affuetus
es: ut hæc tibi sint antiquissima. Talibus
igitur Strophis vobis opus est: quia ex gra-
tia Dei nihil melius habetis: Veritati au-
tem contradicere semel vobis est decre-
tū. Et ad hoc ipsum tu & Canisius tuus,
cum vniuersa catulorum ipsius turba, à
vestro idolo conducti estis.

QVÆST. 18.

CVm fremitu & indignatione exclam-
mas. Annon hæc (*insignis*) contume-
lia in Christum Seruatorem sit, quod Prophe-
tam Iesaiam Iudaice magis quam Christia-
nè interpretemur: ubi de Christo vero Mes-
sia ille vaticinetur: ut exempli gratia vox
Almah. Ies. 7.

Argu-

CONTRA VERRONEM. 97

Argumentum igitur tale est.

Quicunque Prophetam Iesaiam, de Christo vero Messiam vaticinantem Iudaicè magis quam Christianè interpretantur, & in Christum contumeliosi, & sacra Scripturae corruptores sunt.

Euan gelici autem doctores ac ministri illud faciunt. Ergo Christum contumelia affectiunt, & Scripturam ipsam corrumpunt.

Probatio assumptionis: Ut exempli gratia vox ALMA. Ief. 7.

RESPONSIO.

Ἄνπον ληρεῖς ἐπεστέλλετε: Et neque quid Iudaicum neque quid Christianum sit, aut quid vox ῥωμήν (Haalmah.) in Hebreo significet, intelligis: placuit tamen tibi ad compleendas cauillationes tuas etiam hoc inferere: Nempe quia stultam tuam inscitiam prodere maluisti, quam videri nihil posse reprehendere. Contumeliosam dicis nostram Iesaiæ Prophetæ interpretationem esse, & tamen cuiusmodi hoc sit, neverbo quidem explicas. Expositionem autem ullam cedo quo tandem argumento reprehēdis? Voculam ipsam Almáh, protrudis in acciem, exempli gratia: ipse vero pruden-

g. J.

98 C H R I S T . A D P O R T V M
ter tibi post principia caues , quia facile
sensisti , tibi vites & arma dcesser ad pu-
gnandum. Seilicet mi Gerro, quia tu e-
xempli gratia es asinus, ideo omnes cre-
dere debent, vocem Almah, hereticè, vel
Iudaicè, & non Christianè à nobis expo-
sitam, & explicatam esse : etiamsi ne uno
quidem verbo, nedum argumento id de-
monstres. Sed noluisti tu nimis prodigus
esse tuæ sapientiæ : verum aliquid in ab-
dito tuo thesauro tibi reconditum ser-
uare , quod tum demum depromas , ac
proferas nobis , vbi te maior vrgebit ne-
cessitas.

Vt autem omnes vos, & vestri intelli-
gatis , quomodo hunc Prophetæ locum
interpretetur, scito: Nos primo quidem
vocem ipsam נָהָר (Almah) ex Hebraici
verbi significatione , & eiusdem etymo
Virginem interpretari: Deinde, in eo non
modo veterem interpretem , qui diserte
etiam Virginem exponit , sed & septua-
ginta Græcos interpretes, & ipsum Euan-
gelistam Mathæum , nobis ad stipulari,
qui etiam addito articulo, Τιν παρθενος ,
reddunt. Tertio denique, quoniam in
Hebræo contextu Hehaediah , id est,
demonstrativa litera voci ipsi præponi-
tur ut

C O N T R A V E R R O N E M . 99

tur ut non modo **אַלְמָה** (almah , sed **אַלְמָה** (haalma) legatur: Hæc auté litera articulo in, in Græca trāslatione exprimitur: nos hoc vaticinium Prophetæ , de insigni illa Virgine intelligere, & interpretari, quæ singulari Dei consilio ab æterno ad hoc opus selecta ac prædestinata fuerit: & cuius in prima promissione à Deo ipso facta mentio sit, quod semen eius contritum esset caput Serpentis, Gen. 3. hoc est, de Maria Virgine , ex qua Dominus ac Scruator noster Iesus Christus , in hunc mundum vera natiuitate prognatus est. Tu igitur si quid melius habes, cur id non doces nos? Aut si nostram interpretationem reprehendendam putas, cur non solidis argumentis & rationibus prolatis id facis? Nempe quia ideo tantum reprehendis, ut reprehendas, non autem ut ullam solidam reprehensionis tuæ reddas rationem. Itaque quoniam neutrum illorum facis, hunc syllogismum yicissim tibi accipe.

Qui malitiosè calumniatur Dei veritatem, & propterea illi contradicit, quia non tam intelligere illam , quam odiſſe vult, is demum verè in Christum Dei Filium contumeliosus est.

Tu autem illud facis Verro. Ergo tu ipse in Deum, & Christum Dominum contumeliosus, & eius criminis reus es, cuius impudenter nos insimulas, immo etiam accusas.

Q V A E S T . 19.

Qui album nigrum, & nigrum albū interpretatur: iij nequaquam fideliter explicant, & interpretantur Scripturam. Zuingiani illud faciunt.

Ergo Scripturam nequaquam fideliter interpretantur. Probatio assumptionis, quod scilicet Zuingiani album nigrum, & contraria, interpretentur. Quia BAPTIZARE secundum ipsorum interpretationem, in Scriptura idem quod docere, aut praedicare significat.

E' πιγματονεών huius probationis: Zuinglius in I. cap. Marci, hoc ita ausus fuit scribere. Deinde innumerabilia exempla huius audaciæ, qua Scripturam sacram ad peruersum nostrum sensum torqueamus, te dicas breuitatis causa omittere.

R E S P O N S I O .

AD posterius hoc, priore loco respondeo. Quando satis prolixè ac splendide idè

C O N T R A V E R R O N E M . 101

didè mentitus es , mi Gerro , meritò reliqua mendacia tua omittis breuitatis causa. Longum enim tibi esset omnia huc congerere , quibus ceu flosculis, has tuas cauillationes omnes variè exornasti, imò, ex quibus penè solis hæ contextæ sunt. At verò ista tua reticētia, quam tam ciuititer prætendis , annon vanitatis tuæ argumentum est? Certissimè enim non reticeres, si quid haberes solidi. Iam verò, quod ad rem attinet : Zuinglius Marc. 1. v. s. ex loci circumstantia colligit , Baptizare, eo loci non simpliciter significare, aqua tingere , vt de ipsa externa duntat Baptismi actione intelligatur , sed idem declarare etiā, quòd docere. Quum illi qui Baptizabantur, vt refert Marcus, haud dubiè non fuerint Baptizati , nisi prius prædicatione Ioānis edocti fuerint. Fuerūt enim illi adulti, & doctrinæ ipsius capaces. Sic autem colligit Zuinglius: si Baptizati fuerunt , antequam sermone Euangelij , nempe per Ioannis prædicationem edocerentur. Ergo Anabaptisteū dogma concidit , quòd doctrina semper debeat Baptismum precedere. Sin dicant prius edocetos fuisse: oportet vt ex Scriptura hoc ostendant. Quod ipsum si

g. iij.

202 C H R I S T . A D P O R T V M
non possunt, sequitur, Baptizādi verbum
pro docere positum esse, non autem so-
lam & nudam Baptismi administratio-
nem, id est, aquæ aspersiōnē declarare.
Hæc enim illius mens, atque senten-
tia est.

At tibi homini peracuto , hoc absur-
dum videtur & hæreticum: cur igitur ad
argumentum Zwingli non respondes?
Et quid ad hoc dicis , quod alibi ipsam
Iohannis prædicationem ac totum eius
Ministerium , Baptismatis nominis. συ-
ενδοχημως Dominus ipse complectitur,
nempe Matt. 21. v. 25. Ad doctrinam enim
ac testimonium Iohannis Iudeos illic re-
uocat , ex quo discere eos oportuisset,
quis Christus esset , & quo iure illa face-
ret , de quibus interrogabant ipsum: Et
tamen solius Baptismatis Ioannis, & non
doctrinæ aut testimonij facit mentio-
nem.

Deinde annon malitiosè, ac sophisticè
ab vna speciali significatione huius ver-
bi, ad reliqua omnia significata tollenda
argumentaris? Quasi qui te idololatram
esse dicat, is propterea neget te esse sacri-
ficulum.

B A P T I Z A N D I verbo doctrinam
ipsam

ipsam, Baptismo obsignatam ibi intellexit Zuinglius, ergo, si tibi creditur, Baptizare nobis nihil aliud quam docere significat. Matt. 20.v.22.23. & Marc. 10.35. Baptismatis nomine, & verbo Baptizandi, afflictiones illas designat Dominus, quas ipse subiturus sit, ac discipuli. Num igitur clamabis tu, Domino nihil aliud Baptismum significare, quam afflictiones? Quod si dixeris, hic esse Metaphoram: Respondemus tibi, illic synecdochen esse, abs te dolosè suppressam ac dissimulatam.

Denique si maximè in huius verbi explicatione hallucinatus fuisset Zuinglius (quod tamen nondum probasti) num propterera tota religio nostra cōcideret? Aut num existimas, ab unius siue hominis autoritate, siue voculæ inrerpretatione, ita religionem nostram pendere ut propterera nullo alio fundamento sit subnixa? Seri ptura sacra nobis cœlestis illa Cynosura est, ad quam totius nauigatio-
nis nostræ cursus dirigitur. Quam qui op-
timè nauigando obseruare potest, &
quam ipsa monstrat viam sequi, eum pro-
perissimo nauclero habemus. Secus
verò alium, qui spreta & neglecta illa

cuius vento temere velit nauim committere. Sed voluisti tu nos, ex te ipso, ac tuis similibus æstimare, qui nullo flatu nauigare potestis, quem non vester vobis afflat & aspirat Pontifex. Quid autem si etiam alio solutionis genere utens, uno verbo dicam tibi, hunc librum, quod tu ignorare vix potuisti, Zuinglij non esse γνῶσον.

En, igitur reprehensio tua, quam egregio ac solido fundamento nitatur: & quantum Veritatis, tuæ breuitatis causa, tibi fuerit omissum: sed adhuc maiora videamus, & magis admiranda. Quæ si & ipsa abs te omissa fuissent, melius honori tuo consuluisses.

QVÆST. 20.

QVÆRIS igitur Verrocanisi, ad concludendum hunc locum, ut iam veluti postremo i&tu lethale vulnus nobis infligas, sed per Lutheri rursus latus nos confodiens: *Ubinam Lutherus hoc consultum reperit in Scriptura, ut tot sacrilegia & errores committeret, in Germanica sua S. Bibliorum translatione: quorum ad sexcentos numerò D. Empserus in suis Biblitis obseruarit: Sicuti*

CONTRA VERRONEM. 105

Sicut illud videre sit, cap. 5. Epist. ad Gal.

Sic igitur argumentaris.

Qui sacra Biblia falsa interpretatione innumeris locis adulterat: is sacrilegus, & seductorius Scripturæ sacræ corruptor est.

Lutherus autem illud fecit: Ergo sacrilegus est, & Scripturæ sacræ corruptor.

Probatio minoris siue assumptionis duplex est. 1. A testimonio summi cuiusdam Papistæ, nempe D. Empseri: qui circiter 600. locos à Luthero ita corruptos obseruarit. Nescio an oblitus sis, addere: cùmque conuicerit, & refutarit: non enim addidisti. 2. Quæ illius quasi ~~conuictus nevèr~~ est, ab exemplis: quorum quatuor numero affers, ex vnico quinto cap. Epistol. ad Gala. Ut scilicet res & credibilior, & maior videatur. Hinc enim à minori ad maius colligis. Si in uno capite duntaxat, tot errores, & tot falsitates commissæ sint: quid igitur in reliqua tota Scriptura Biblica factum putare debeamus.

Has enim exempli causa duntaxat ad reliquarum indicium abs te hīc positas & commemoratas esse.

RESPONSIo.

DE Lutheri persona tecum discepta-
re, non est instituti huius, neque ad
rem pertinet, sicuti iam antea dixi tibi.
De re igitur ipsa, hoc est de doctrina a-
gamus.

Propositionem Syllogismi tui rursus
nemo inficiabitur. In hoc enim tu & ille
Congerro tuus, qui te lyrā docet, edocti
estis, ut vniuersalem aliquam confessę
veritatis speciem arripiatis: Deinde sub
eius pallio, ac prætextu vestras occulte-
tis calumnias, ut simplicibus eas persua-
deatis. Quis enim non indignum, imo
sacrilegum putet, Scripturam sacram fal-
fis interpretationibus adulterare? Et ni-
mirum, ut hoc faceret Lutherus, sacris
Scripturis nusquam didicit. Assumptio-
nem igitur tuam qua Lutherum id feci-
se audacter pronūtias, age quam pulchrē
confirmes, nunc ordine videamus.

1. Quod Empserū vestrum testē sta-
tuis, ad probandum id, quod sub Lutheri
nomine obiicis nobis, credo te id honoris
causa facere, ad laudē viri illius, propter
eam, quam apud vos non immerito ob-
tinet autoritatē. Sed scito, nos non magis

sex-

sexcentis illis manifestis Empseri calumniis, quām apertis tuis mille mēdaciis moveri. Empserum non nominari duntaxat abs te, sed & argumenta eius proferre oportuit, quibus tot errorum & sacrilegiorum conuicerit Lutherum. Quod dum non facis, tibi tuum Empserum exosculandum relinquimus.

² Adhuc autem magis bellā tuā ~~καταστενεύειν~~ consideremus: qua & tuam & Empseri tui aut horitatem ita illustras, ornas & amplificas, ut meritò ad illam oporteat omnes etiam stipites obstupescere.

Primum quod nobis obiicis est: Quod quum Paulus dicat: State & nolite iterū iugo seruitutis, (id est peccati) contineri: nos ita istud interpretemur, ut addamus de nostro: in libertate igitur, qua Christus nos liberauit, perstate. Nescio Verrocanisi, inscitiāne tua, an impudētia maiore admiratione digna sit: vsq; adeò sese mutuò æquarevidentur. Inscitia est: quod dicens à peccati seruitute Galatas hīc deterreri ab Apostolo: quū de repudiādo illo Legis Mosaicæ iugo illos moneat, sub quod eos redigere conabātur quidā peruersi pseudodidascali. Quæ quidem quę-

108 CHRIST. AD PORTVM
stio proposita , agitata , ac decisa est , in
sancto illo sanctorum Apostolorum con-
cilio : Cuius acta , A&t. 15. describuntur.
Sed vos Sacrifici , ex peculiari quadā re-
uelatione , si hoc ita vult Deus , Scriptu-
ræ sacræ interpretandæ modum habetis.
Ita scilicet tu intelligis Apostoli scopum
& argumentorum eius consequentiam.
Impudentiam verò tuam , quis etiam sa-
tis mirari possit ? Dicis , verba hæc : In li-
bertate igitur , qua Christ⁹ nos liberauit ,
state: à nobis addita esse Pauli verbis . Qua
fronte , quo pudore , qua conscientia hoc
dicere , imò scribere , imò etiam noua &
peculiari Typographia instituta euulga-
re , & in publicum edere ausus fuisti ?

Primò enim annon in omnibus Græ-
cis exemplatibus hæc verba , ita syllaba-
tim habentur . Τῇ ἐλευθερίᾳ ἐν , ἦ Χειρὶς ἦ-
μας ἦ λευθέρωσε , σῆκετε : Idque adeo con-
sentientibus omnibus codicibus , & in-
terpretibus , vt in vestra Antuerpiana
editione , de verbo ad verbum expressa
sint , ne syllaba quidem aut litera , & ne
particula quidem ε, omissa . Quæ quidem
satis indicant , versum hunc , in capitum
istorum distinctione , minimè lacerandū
fuisse . Deinde verò annon etiam ipsi La-
tini

CONTRA VERRONEM. 109
nini interpres, Hieronimus, & Ambro-
sus ista ita legunt, explicant & interpre-
tantur? Quid tum enim si partem pri-
ore versus istius, ad præcedens caput quar-
tum reiiciunt, verbo autem STATE,
inchoant caput quintum? Quum non
de capitum distinctione, quod face-
re non potes, sed de verborum additio-
ne, quod falso facis tu accuses nos. Deni-
que quid ad hoc dicis, quod his ipsis ver-
bis: τὴν ἐλευθερίαν, &c. ipsum etiā caput
hoc inchoat Chrysostomus? An etiam
is tibi erit hæreticus & falsarius, qui de
suo hæc addiderit verbis Apostoli? Te
nihil aliud Verro, quam supinus ac serui-
lis ille plebis tuæ stupor sustentat: Quia
vel non audet, vel non vult, verūm ne, an
falsum dicas, ex ipsa scriptura cognosce-
re ac iudicare. Dici igitur, ut dixi, ac de-
finiri non potest, plus ne impudentiæ,
malitiæque, an verò inscitiæ & ignoran-
tiæ habeas: usque adeò hæc omnia in te
videntur esse cumulata. Nisi fortasse pal-
pabile, & aspectabile mendacium non
est turpe.

Alterum piaculum est, quod verba ista
N E M I N I C O N S E N S E R I T I S , o-
mittamus. Quibus tamen Paulus præci-

110 CHRIST. AD PORTVM.
piat ac moneat, ne Pseudapostolis fides
adhibeatur, aut obtemperetur. Contra-
rium priori scelus est. Prius enim fra-
duleñæ additionis accusastinos, nunc
verò sacrilegè insimulas detractionis. Nō
amplius pudorem, & conscientiam re-
quiram ab te, quia videris ista nūquam
habuisse. Vnum Hieronymū tibi oppo-
no, qui disertè scribit: ista neque in Græ-
cis libris (quod verissimum est) neque in
iis, qui in Apostolum commentati sunt
inueniri, ac propterea prætercunda vi-
deri. Hæc enim Hieronymi verba sunt.
Tu igitur quām impudenter affirmas, à
nobis fraudulenter è contextu subtracta
esse, quæ tamen nunquā fuerunt in con-
textu, & ad eum non pertinent. Ad eū
ius quidem rei confirmationem, annon
etiam hæc pertinere existimas: primò,
quod neq; Augustinus, neq; alij hæc le-
gunt: Deinde quod etiam vos ipsi, tum
rei veritate, tum totius antiquitatis testi-
monio & autoritate conuicti, non ausi
fuistis in Antuerpiana vestra editione in
cōtextum ista admittere: sed ad marginē
(& meritò quidem, vt pote ad contextū
minimè pertinentia) ea reieciſtis? Quod
igitur vos facere ipsa veritas iubet, quod

Græcus

C O N T R A V E R R O N E M . III

Græcus & originalis contextus vos cogit facere, quod faciendum dicit Hieronymus, quodque adeò omnibus testibus conuicti, ipsi facitis, quomodo in nobis ceu sacrilegium id reprehendis, asine, si vel vobis ipsis auctoribus idem faciamus? Nempe malitia tua te maledicere veritati cogit, cum tuo ipsis probro & dedecore. Quocunque te conuerteris, tua te improbitas coarguit, & te ipsum conspuit in faciem. Quod enim in contextum irrepererūt verba ista, N E M I N I C O N S E N S E R I T I S , annon vestra, Monachorum, & Sacrificulorum audacia, ac temeritate factum est: quum vobis ipsis testibus, in Græco contextu non habentur? Quod autem nunc illa separatis à contextu, annon vestras merces recipitis, quas veluti sese indignas ipsam respuit Scriptura, ac repudiat? Qua igitur fronte, pro sacrilegio nobis reputas, si etiam nos, ceu adulterina, & supposititia, ea omittamus? Vno igitur verbo respondemus tibi: Nempe, nos aliquid subtrahere de contextu Scripturę, quod ad eum pertineat, aut in eo vñquam fuerit, tuam impudentissimam calumniam, & apertum mendacium esse: ac te potius

III. CHRIST. AD PORTVM
ipsum audacem Scripturæ adultetato-
rem deprehendi: ut qui in eam ingerere
coneris, quæ separanda tamen esse, ve-
stra ipsorum editio testatur.

*Mis̄is d̄i
ἀγάπην ἵστ
γενούμεν.* 3 Tertiū crimen est, quod pro verbo
Operatur, versu 6. nos Agendi verbum
ponamus: Nempe, ne forte de bonis ope-
ribus id ab aliquo intelligatur. Vbi rursum
in quem stuporem te tua malitia, & ma-
ledicendi libido adigat, omnibus mani-
festum facis, qui modo ex reipsa iudicare
possunt. Quū enim Paulus dicit, in Chri-

*Charitas propriè di-
citur, ἐπ̄ τοῦ
ζεῖτος Rō.
13. 10. Fi-
des au-
tem hoc
ipsum ἵστ
γενούμεν:
Quia cha-
ritas ex
fide est.
Hinc san-
cti dicun-
tūr δικαιο-
σύνης ἐπ̄ τοῦ
ζεῖτος per fi-
dem Heb.
11. 33. Et
hoc usque siue actuosam. Hoc igitur quid absurdum ha-
deo, vt
quicquid
non ex fi-
de est, pec-
catum sit.
Rom. 14.
33.* interpres significantissimè & maximè
propriè hoc vertit *Thātig*, id est, agentē
bet, Gerro? Nempe, si tibi creditur, eò spē
stat interpretatio nostra, vt ne de bonis
operibus Apostolus loqui videatur. De
qua igitur re, Asine, putas nos verba fa-
cere?

CONTRA VERRONEM. II³

cere? quando non nostris, sed Pauli verbis
dicimus, veram fidem per charitatem a-
gentem esse? Annon enim viuam ac ve-
ram fidem à mortua & adulterina, cum
Paulo ita distinguimus? Aut annon huc
prosper spectat hæc verba Pauli. Nempe
ut doceat, hanc demum verā fidem esse,
quæ sese per bona veræ charitatis, ex illa
promanantis, opera, conspicuam ac testa-
tam reddit. Optimè vero ut dixi Agendi
verbo, significantissima illa Græci verbi
emphasis exprimitur. Vtpote, quo viui-
da illa virtus & efficacia fidei declaratur,
qua non modò ad vnum aut alterū opus
Charitatis obiter peragendum, sed ad af-
fiduum & ardens beneficiandi studium
impellimur. Deniq; zelus ille denotatur
hoc verbo, quem parit fides, & quem te-
ste Apostolo, à suis cultoribus in benea-
gendo requirit Dominus. Tit. I. 14. Itaque
etiam ab ipso Germanico interprete hęc
emphasis optimè est expressa. Nisi fortas-
sis nullum, inter causam & effectum, id
est, inter ipsam fidei *ç̄s̄p̄yeiav* Charita-
tem quidem inflammantem, ad alacrita-
tem verò affiduè nos extimulantem, &
ipsam actionem, siue opus, discriminem est.
Atque in hunc modum annon etiā occu-

114 CHRIST. AD PORTVM
menius ex Theophylacto, & h̄c ex Chry-
sostomo hoc interpretantur? Non enim
satis est, inquit ille, Christo tantum cre-
didiſſe, sed oportet fidem hāc c̄r̄p̄t̄ōis,
n̄y diaq̄uλάτ̄ēis, n̄y ὁδ̄ ἀναζωπύεις dia-
t̄ns eis χριſtv̄ ἀγάων̄, id est, actuosam esse
& custodiri (ſiue foueri) & subinde quaſi
ſuscitari, per dilectionem Christi. Hoc
autē cuiusmodi ſit, mox explicat Theo-
phylactus, quum ait. Disce igitur, quōd
fides operatur (ſiue agens eſt c̄r̄p̄t̄w)
per charitatem: hoc eſt, viuere demon-
ſtratur. Et idem dicit eſſe cum eo, quod
D. Iacobus dicat, fidem abſque operibus
mortuam eſſe. Iac. 2. 17. 20. Quæ quum ita
ſint, quid igitur tādem ſibi vult calumnia
tua? Nos vereri ne de bonis operibus in-
telligatur id quod h̄c dicit Apostolus?
Sed ſcio quæ tua mens ac ſententia fue-
rit: Dicere voluisti: vereri ne Apostleſ
videatur bona opera (præſertim qualia
vos ſacrificuli & Monachi exercetis) iu-
ſtificationis noſtræ cauſas ſtatueret. At-
que nō eſt, mi Gerro, quōd h̄c nos quic-
quam vereri existimes: qui iam dudum
ex omnibus ſcriptis Pauli didicimus, quid
de vera hominis iuſtificatione ipſe ſen-
tiaſt ac doceat, adeoque credendum tra-
dat fidelibus. De veſtris quidem fiaſtis, aq-

C O N T R A V E R R O N E M . 115
superstitiosis operibus , non loqui Apo-
stolum , non solum ex eo patet , quod o-
mnis supersticio Deo exosa est : sed & ex
eo est manifestū , quod de operibus Cha-
ritatis , quæ ex fide proficiscuntur , diser-
tè agit . Vesta verò opera fictitia , & ido-
lolatrica , quomodo vñquam ex fide pro-
ficiscerentur : quum hæc Dei Verbum , ac
promissiones respiciat , & in illud solum
recumbat , in eoque acquiescat ? Quasi ve-
rò vñbicunque de bonis operibus sermo
habetur in Scriptura , ibi continuò vestra
idolomania in censum veniat , idque us-
que adeò , ut etiam vis iustificandi credi
debeat ei adscribi . Hoc enim pro sum-
ma vestra , & diabolica superbia impu-
denter vobis soletis imaginari .

Ipsa autem verè etiā bona opera , iustifi-
cationis Σωτηρία ipsi fidei adiungi ab
Apostolo , tum euinces , si ostenderis si-
gna alicuius rei , quibus ea agnoscitur , &
rem ipsam , id est , causam & effectum idē
esse . Et hoc ipsum Paulum docere . Quod
ipsum tamen , si ex hoc loco concluden-
dum esset , annon tam ex nostra , &
multò magis , quam ex vestra interpre-
tatione consequeretur ? Quid igitur
gatris , nos vereri ne de bonis operibus

116 CHRIST. AD PORTVM
hoc Pauli verbum intelligatur? Sed tan-
tum abest, vt siue h̄ic, siue usquam alibi
in causis Iustificationis, bona opera nu-
meret Apostolus, & cum fide cœu *συνέται*
coniungat, vt hanc potius illorum cau-
sam statuat, & verum atque unicum fon-
tem. Veram autem iustitiam, quā coram
Deo iusti censemur, ac sumus, gratis no-
bis per fidē imputari doceat, abique ope-
ribus. Rom. 3.24.28. & 4.cap.v.1.2. & dein
ceps. Tit. 3.4.5.6.7.2. Tim. 1.9. & alibi.

De causa verò & fonte honorū operū,
ac mutuæ charitatis, in hunc modum ad
eundem Timotheum scribit: Finis man-
dati est Charitas, inquit, ex puro corde,
& conscientia bona, & fide nō simulata.
1. Tim. 1.5. Ut h̄ic etiā nihil aliud doceat,
quām veram fidem, ex certis suis fructi-
bus, ac propriis effectis æstimare: hoc est,
ex studio illo charitatis exercendæ assi-
duo & indefesso. Itaque etiam h̄ec furi-
lissima tua calumnia est, te autore suo
prorsus digna.

4. Eiusdē ponderis est, quod quarto,
& postremo loco carpis. Nēpe, quod pro
A B S C I N D E R E , E X T I R P A R E
verbum, Germanicus interpres ponat,
vers. 12. Hoc autem quid tandem piaculi
aut

aut fraudis habet? Si videlicet verbo, id ē
ab effectu declarante, sed in suo idioma-
te visitatiore fortassis, vel aliquanto signi-
ficatiore, vtatur? Quæ enim ita absca-
duntur, propterea absconduntur, vt extir-
pentur, exterminentur, & abiciantur. Et
quoties hoc accidit, vt diuersis verbis
vtantur interpretes, & tamen rem vnam
& eandem significant? Ut exempli gra-
tia, quod hīc proximè sequitur, οἰάνασ-
τερες υμᾶς : id Hieronymus conuertit,
QVI VOS C O N T V R B A N T : Ambro-
sius verò reddidit, QVI VOS S V B V E R-
T V N T. Vter igitur tibi erit hæreticus,
qui non id ē verbum usurpet cum altero?
Quod si utrumque absoluis à criminè,
quia utriusque hoc liberum fuerit: cur igi-
tur nos condemnas, quum id ē facimus,
quod ipsi fecerunt? Aut ostende nobis
magna illa pericula & incommoda, &
absurda, quæ ex nostra interpretatione
consequantur.

Vides igitur, Verro, quā inepta, quam
stulta, quam putida, interim tamen, cum
quanta impudentia, inscitiāque coniun-
cta sit, tua hæc maledica petulantia. Itaq;
nunc tandem vicissim colligimus, & con-
cludimus tuis verbis: si paucæ aliquot fal-

118 CHRIST. AD PORTVM
sicut in unum locum congregatae, multae
rum aliarum indicia ac testimonia sunt,
sicuti statuis: has certè falsissimas tuas ca-
lumnias, non modo Empseri illorum sex-
centorum, quibus tu niteris, sed & alio-
rum innumerabilium tuorum, & Canilij
tui mendaciorum certissima signa ac do-
cumenta esse. Sanè enim, sicuti colligis,
quem tam manifestorum, & palpabilium
mendaciorum non pudet, à qua tandem
falsitate, & calumnia, adde etiam si placet
mendacio, eum putabimus esse alienum?

Habes Verro, ad primum articulum,
de sacra Scriptura, luculentum quidem
ac prolixum, sed tamen necessarium re-
sponsum meum: tale nimurum, quale tu
quæsiuisti, & quale postulabant sophistiq
istæ Strophæ & cauillationes tuæ. Quo
quidem si tibi nondum satisfactum est,
aut si fortè nimis etiam prolixum vide-
tur, scire debes, me non tam laborare,
quid tibi vel nimium, vel satis sit, quam
quid res & veritas ipsa postulet, spectare.
Ad reliqua tua sophismata respondebo
tibi, si digna iudicauerero, quibus refallen-
dis tempus & bonæ horæ conterantur.
Nec tamen est, quod existimes, me cessa-
re, te propterea responso destitutum iri.

Plenum

C O N T R A V E R R O N E M . 119


Plenum enim habebis propediem, ut spe-
ro, te, ac sapientia tua dignum. Ea etiam
lingua conscriptum, quæ & à te, & ab i-
diotis vestris, quorum applausum non re-
cta docendo, sed veritatem calumniando
captatis, abundè possit intelligi: ut etiam
ipsis fiat satis. Interea cogitandum tibi
relinquo: si hæc tua sophismata tam fa-
cili negotio discussa ac dissipata sunt:
quanti laboris existimes fore, etiam reli-
quas tuas cauillationes omnes proster-
nere, quæ non meliore fundamento sunt
subnixæ.

1. n. 119.
m. 5. 119.
nd 207. 119.
d. 119. 119.

F I N I S .

Bernæ Helvet. 15. Nouemb.

1585.



1. 2. 3. 4. 5.

6. 7. 8. 9. 10.

11. 12. 13. 14.

15. 16. 17. 18.

